

tionis quantitatem, cum semper illic lateat anguis, Sot. d. art. 4. col. vlt. in documento, ibi, ex his hoc colligamus documentum.

Hæc restrictio, salua Soti reuerentia, non est vera, quia cambia contrahuntur pretio certo, & terminato, vt scripsi hic supra num. 1. & patet ex litterarum formulis, quas posui supra q. 5. & ideo, vt dixi sub d. num. 1. vers. quicquid. & apertius supra hac ead. q. par. præced. n. 94. deceptus est in hoc Sotus.

AMPLIATIO XV.

SVM MARIVM.

Campor. supposita triplici scutorum marcharum aestimatione, potest viliori à campuario indigente emere, num. 1.

AMPLIA XV. vt si scutus marcharum vendatur nūc proximo foto sub triplici pretio, nempe sol. 65. 66. & 67. tu possis ab indigente emere pro sol. 65. & sic minori pretio, tum quia licitum est contrahentibus se decipere in pretio, vt scripsi supra ampliat. 10. num. 1. tum quia quodlibet istorum pretium dicitur iustum, vt ex Nauar. secutus sum supra ead. ampliat. 10. num. 101. restrict. 2. & ideo sub istis pretijs contrahentes possunt licite contrahere; & ratio, quare soleat quandoque in rebus dari triplex pretium, est, quia etiam rerum bonitas est inæqualis: & sicut in rebus est inæqualitas bonitatis, ita etiam inæquales sunt debitores, qui vendunt scutos marcharum, ita vt unus sit minus idoneus, quam alius; & consequenter pluris æstimetur nomen magis idonei debitoris, quam nomen minus idonei.

Quicquid scripserit Hier. de Luc. tract. de camb. vers. pro decisione. num. 44. q. 7. tom. 6. par. 1. fol. 410. dicens, quòd Doct. scribunt, quòd non esset sine periculo ponere se in extremo vitioso in detrimentum proximi indigentis, & præcipue, cum non sit fas lucrari de alterius commodo.

AMPLIATIO XVI.

SVM MARIVM.

Cambium cum recursa est licitum, num. 1.

Recambium est licitum, num. 2.

AMPLIA XVI. vt sit licitum cambium, quod vocant, *con la ricorsa*: cum tu, scilicet, das mihi ad cambium scutos 100.

& ego facio tibi litteras cambij, soluendas vel à te ipso tibimetipsi, vel à me mihi metipsi, iuxta formulam litterarum, de quibus supra q. 5. num. 88. vers. prima. & num. 94. vers. secunda. hoc enim cambium esse licitum, re latè disputata, firmaui infra §. 6. gl. 1. num. 2. & seqq. vers. secunda. & num. 63. vers. retenta. & seqq. ad illum, vbi videas.

2 Sub amplia hanc ampliationem, explicando potius eam, vt ideo sit licitum etiam recambium, per ea, quæ dixi hac ead. q. par. præcedenti. num. 99. iunctis num. 97. & 98.

AMPLIATIO XVII.

SVM MARIVM.

Cambium contractum cum campuario, quem campor credat, non esse soluturum litteras cambij, est adhuc licitum, num. 1. & seqq. Contrarium, num. 7. & seqq. Resolutio cum distinctione, num. 15. & seqq. Retinetur ampliatio cum distinctionibus, num. 22.

Sub ampliatur primo, vt procedat quando campor dubitat, an sit soluturus, evd. num. 22.

Sub ampliatur secundo, quando firmiter tenet, campuarium soluturum esse, nu. 23. & seqq.

Et quid si superueniat scientia in contrarium, num. 26 & 27.

Cambiorum fccorum multi casus, num. 10. & seqq.

Emptio, & venditio non habet pro substantia, quod emptor debeat credere, venditorem traditurum esse rem emptam, num. 2. Nec, quod debeat scire, an vendor habeat rem, quam vendit, num. 4.

Campor non dat ad cambium illi, à quo non sperret solutionem litterarum cambij, &c. num. 3.

Cambij capitale, & interesse verè probatum debentur etiam ex cambio nullo, num. 5.

Pauper, & similes, qui videntur inhabiles ad accipiendum cambio, quomodo possint accipere, num. 6.

Census scienter emptus super re non venditoris, est illicitus, num. 8.

Societas simulata, & ficta est illicita, num. 9.

Constitutionis Pij V. de cambijs intellectus, num. 16.

Censu imposito super re aliena, ignorante empore,

re, ideoque fructus exigente bona fide, an illi
fructus sint restituendi, &c. num. 24. & seqq.



MPLIA XVII. ut cambium
sit licitum, quamvis accipiens
cambio, sit rusticus, mechanici-
cus, pauper, vel similis, quem-
is, qui ei dat cambio, verisimi-
liter credere debeat, non habiturum in
nundinis, seu loco, pro quo accipit cambio,
facultatem soluendi, Boninseg. tractat. de
camb. cap. 7. vers. sono alcuni. fol. 19. & Io.
Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de
camb. cap. 11. q. 6. col. 890. hæcq; amplia-
tio pluribus comprobatur argumentis.

2 Primo, quia cambio est emptio, & ven-
ditio nummorum, vt secutus sum supra q. 4.
num. 21. & seqq. sed ad emptionis, & ven-
ditionis iustitiam, non est necessarium, quod
vendor, qui promittit rem tradere, sit talis
conditionis, vt emptor eius promissioni pro-
babiliter debeat credere; sufficit enim, quod
possit credere, illum volentem, vel inuitum,
iustitia cogente, posse satisfacere obligatio-
ni tradendi rem.

3 Secundo (& tendit ad idem) quia huius
ampliationis termini videntur implicare
contradictionem, seu ligare arenam sine cæ-
mento, cum supponant, camporem crede-
re pecunias campuari, cui sciat non esse
credendas, quod certè saperet fatuitatem, &
omnimodam inuerisimilitudinem, ne dicam,
impossibilitatem, cum campores, timentes
campuariorum inopiam, seu impotentiam,
priusquam suas pecunias illis credant, se-
dilicenter informent de eorum idoneitate,
& facultatibus, & ubi bonam non habeant
informationem, abstinent à cambijs: nec ru-
sticitas, seu ars mechanica, imò neque appa-
rens paupertas sunt tutum inditium im-
potentiae, & inopie; & experimur, nos ab his,
quos facultatibus valde idoneos existima-
mus, sèpius falli, & decipi, quām ab alijs in-
fimis, quibus potest propterea quadrare
illud Ouidianum:

Quo minime credis gurgite piscis erit.
& satisfaciunt, quæ scripsi infra §. 6. glos. I.
num. 64.

4 Tertio, quia in emptione aliarum rerum
non tenetur emptor scire, an ille, qui ven-
dit, habeat, seu sit habiturus rem, quam-
vendit, per ea, quæ dixi d. gl. I. nu. 64. versus
finem: sed tollitur omnis difficultas, quia in
cambio cum recursa nummularius iam ostend-

dit, se scire eum, cui dat ad cambium, non
esse soluturum in nundinis, nisi per viam re-
cursus ad eundem nummularium, & tamen
istud cambium toleratur, vt late articulo di-
sputato, scripsi infra d. gl. I. num. 21. & seqq.
in secunda opinione: ergo nihil refert, quod
nummularius credat, eum, cui dat cambio,
non esse habiturum effectum, seu creditum
in nundinis, quo possit satisfacere litteris
cambij.

5 Quarto, quia hæc disputatio videtur fru-
stratoria, cum, dato etiam, quod eiusmodi
cambio esset illicitum, tamen capitale
cambij, & illius interesse, quod creditor ve-
rè passus esset, adhuc ei deberetur saltem in
foro conscientiæ, Nauar. in cap. nauiganti.
num. 26. vers. in solo vno. de usur. & quod in
omnem casum iste rusticus teneretur ad in-
teresse damni emergentis, & lucri cessantis,
scribit Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de
dante. vers. quæro in casu. fol. 234. quod sa-
tis etiam probatur ex his, quæ scripsi supra
ampl. 8. sub num. 1. & infra ampl. 20. sub
num. 3. & quod ex pecunijs, nulliter datis in
societatem officij, debeatur interesse, pro-
batis requisitis necessarijs, dixit Rot. quam
citaui infra ead. ampl. 20. num. 27. & cum
hoc argumento concordat eadem Rot. di-
uers. decis. 195. in ultima. num. 1. par. 1. di-
cens, quod licet contractus sit nullus, & usu-
rarius, tamen non sequitur, quod debitores
non remanserint obligati ea obligatione,
quæ re contrahitur, ad restitutionem pecu-
niarum, & per consequens, non restituendo
eas, ad interesse lucri cessantis, ad quod fa-
ciunt, quæ scripsi supra d. ampl. 8. num. 193.
& seqq. restr. 7. & quod pactum usurarium
in mutuo vitietur, & non vitiet, secutus sum
infra d. ampl. 20. num. 7. & quod taxatio cer-
ti interesse non vitiet mutuum, quamvis sit
reprobata, secutus sum supra d. ampliat. 8.
num. 60.

6 Quinto, quia in omnem casum facile elu-
di potest hoc requisitum, seu qualitas, cum
posset iste rusticus, seu pauper, qui indiget
mutuo, & non cambio, inuenire mercato-
rem, qui pro paupere acciperet cambio, &
pauper promitteret de conseruando indem-
nem ipsum mercatorem, Nauar. in cap. na-
uiganti. num. 29. vers. vtile tamen. de usur.
& hac via omnes essent tuti, tam in foro ex-
teriori, quām in foro interiori: ergo non
est dicendum, quod lex voluerit disponere
id, in quo, si disposuisset, redderetur lu-
dibrio,

Contra hanc ampliationem, mempe, quod
cambium sit illicitum, tenent Sylvestri. in
verbo, vsura. 4. §. 9. Sot. de iust. & iur. lib. 6. i
q. 13. art. 1. concl. 3. col. 3. initio, fol. 629.
Nauar. in man. confess. cap. 17. sub nu. 301. i
not. 2. & in cap. nauiganti. num. 25. de usura.
Hier. de Luc. tractat. de camb. in verbo, pro
decisione. num. 43. tom. 6. par. 1. fol. 410. di-
cens, quod is, qui dat cambio, peccat, quia
seit, quod, si litterae illius rustici praesenta-
buntur, redibunt cum protestatione, &, si
non praesentantur, fit in fraudem usurarum,
Fabian. Genuen. eod. tract. initio, sub num.
46. vers. decima. fol. 415. dicens, esse usu-
ram, Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de
dante, vers. quero an caps. fol. 234. & quod
sit cambiū illicitū, scribit Romualdo. Coli tracto
de camb. cap. 1. 9. intorno in fine, dicens,
cambium esse licitum, quando mercator, qui
habet creditum, subscribit litteras pauperis
qui non inueniret dantem; dummodo ha-
beat in foro pecunias, seu creditum, ut pos-
sit soluere, quia alias esset cambium fictum
contra constitutionem Pij. V. quod idem
formaliter, citatis auctoribus, latius sequitur
cap. 22. in 2. conclus. hancq; opinionem con-
tra ampliationem esse etiam de mente Ioani-
nis Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de
camb. cap. 9. q. 2. vers. in hac re. patet, quia
scribit, cambium cum recrusa esse licitum;
quamvis is, qui dat cambio, iam sciat, acci-
pientem non habere aliquem, qui pro eo
soluat in nundinis; dummodo tamē proba-
bili spe, vel potestate habeat, & sic secun-
dam eum, nisi adesset probabilis spes, seu
potestas, ut habeat, qui soluat, non esset lis-
citum, quod expressè asserit postea, cap. 10.
vers. tertio quādo. quod idem sentit ibidem.
in fine, vers. præterea quando. & vers. secundi-
do quando. scribens, esse cambium usura-
rium, seu siccum, quando re ipsa mittuntur
litterae ad locum, ubi pecuniae sunt soluen-
da, sed remittuntur inanes, & scripsi infra
§. 6. gl. 1. sub num. 2. & 3. vers. secundo quia.
& satis videtur probari ex Pij V. constitu-
tione, in illis verbis: neque quisquam est, qui
in nundinis, aut locis supradictis, huiusmodi
litteris receptis, solutionem faciat.

8 . Confirmatur primo hæc opinio contra-
ria; quia sicut societas officij est illicita, &
usuraria, quando is, qui pecunias accipit in
societate, nullum habet officium, ut dixi hac
ead. q. par. p. 2. ced. num. 35. in l. o. argum. &
onidib.

sup.q.1.nu.267.& 276.in 5. requis. & simi-
liter illicita est census exactio , quando em-
ptor census sciebat , censum imponi super re
aliena , sed simulabat ignorantiam , vt de-
clarant Nauar. in cap. si feceraueris . num.
119.14.q. 3. Virgin.de Boccat.tractat.de
censib. par.2.num.44.& 45. & Io. Azor. de
instit.moral.par.3.lib.10.tit. de censib. cap.
7.q.7. ita etiam illicitum , ac usurarium est
cambium , quando is , qui accipit cambio
pro nundinis , non est talis , qui indigeat illo
cambio pro nundinis , & non habeat in illis
effectus , seu creditum , quo possit soluere
litteras cambij , quas facit : ita enim si habet
ad iustitiam cambij facultas , & possilitas
verisimilis in campuario , vt possit soluere
litteras cambij in nundinis , siue alio in loto,
in quo promiserit soluere ; sicut se habet of-
ficium in societate officij , & fundus in cen-
su ad iustitiam socieratis , & census .

9 - Confirmatur secundo, quia dans pecuniam in societatem illi, quem scit non esse fidem negotiatorum, ut militi, vel clero in-
digentibus, committit usuram, seu peccat,
quia non est vera, sed simulata societas, quæ
mutudinem velat, siue palliat, quamvis pecu-
nias det pro certo, & iusto lucro, & seruat
illis tribus contractibus, de quibus scripsi in-
fra §. 3. gl. 3. num. 36. declar. 2. contentis vir-
tutaliter in contractu societatis, Nauar. in
manual. confess. cap. 17. de usura in societa-
te, num. 258. vers. centesimo duodecimo. &
dixi par. præced. num. 35. Ergo idem dicen-
dum est in cambio, quamvis in eo sit serua-
ta forma contractus cambijs, sicut in duplo inq

10 Confirmatur tertio, quia si nummularius det tibi Romæ pecunias cambio, & querat à te, ubi tu sis eas soluturus, & tu respondeas, soluam tibi, ubi volueris, hoc cambium est siccum, quia tu in effectu videris pecunias mutuas petere, ut tuis commodis prospicias. lo. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. i. tit. de camb. cap. 10. vers. item suspecta. b. sup. probat. postea b. dicitur.

II Confirmatur quarto; quia si nummularius
probabiliter scit , eum , cui dat cambio , ne-
cessitate compulsum accipere , esseq; ibi so-
luturum , vbi accipit , cambium est siccum ,
Ioan. Azor. d. cap. 10. vers. item cum .

12 Cōfirmatur quinto; quia si tu dares cam-
bio scutos 100. Caio, isq; diceret, se eos so-
lūrūtum Venerijs & tu dices, volo, vt
mihi soluas Neapoli, vbi tu scis, Caium nul-
lam pecuniam habere, nec alium quem-
piam,

piam, qui pro eo soluat, cambium esset sic-
cum, Io. Azor. d. cap. 10. in fine.

Confirmatur sexto; quia si quis emat bo-
ues à rustico, & eidem eosdem locet pro cer-
ta annua pensione, & sciat, rusticum illum
non habere boues, talis emptio, & locatio
sunt iniustæ, ut secutus sum infra S. 6. glos. 1.
num. 3.

Iuxta hanc contrariam opinionem Na-
uar. in cap. nauiganti. vers. decimoquinto.
num. 25. vers. sequitur. Ioan. Bapt. Lup. S. 2.
num. 23. in fine, de usur. inter tractat. diuers.
tom. 7. fol. 139. & Io. Azor. de institut. moral.
par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 7. infe-
runt, siccum esse cambium, quod quotidie
fit cum Regibus, qui pecunias accipiunt à
camporibus, & illis dant chirographos, per
quos Romæ, Lugduni, & Venetijs ad cer-
tum tempus, vel nundinas, mandant solui,
conscijs tamen & camporibus, & Regibus,
qui accipiunt, quod pecunias illic non ha-
bent, neque sunt habituri, sed intendunt
earum restitutionem faciendam in eodem
loco.

Et maximè procedit secundum Nauar. &
Io. Azor. vbi supra hæc opinio, seu illatio,
quando Rex, seu alius, accipiens cambio, se
obligat ad recambia, nisi soluerit cambio;
seu se obligat (quod idem est) in casu non
solutionis soluere omnia lucra, quæ num-
mularius esset in nundinis ex repetitis iden-
tidem cambijs, donec ipse Rex soluerit, per-
cepturus.

Quid dicendum? Duplex videtur posse
excogitari distinctio.

Primo namque distingui potest inter fo-
rum, & forum: In foro exteriori conclude-
rem, ampliationem esse veram, quia quando
empor, & sic dans cambio habet animum
emendi, sed venditor, & sic accipiens non
habet hunc animum, & emptori notus est
hic animus venditoris, extrema non coniunguntur
ad faciendum contractum simula-
tum; cum intentiones non coniungantur,
ideoque in foro exteriori contractus rema-
net validus; secus in foro interiori, ut, lo-
quendo in contractu emptionis, & venditio-
nis, scribit Cæpol. quem retuli supra ampl.
10. sub num. 33.

Secundo distinguerem: Aut dans cambio,
ut daret cambio, imò ut mutuaret, cessauit
à vero cambio, & isto casu, potest in utro-
que foro consequi illud lucrum cessans: Aut
non cessauit à vero cambio, & tunc possu-

mus redire ad primam distinctionem.

Retentis his distinctionibus, respondeo ad
ea, quæ sunt adducta contra ampliationem.

16 Ad Pij V. constitutionem, in qua consi-
stit neruus huius contrariæ opinionis, re-
spondeo, distinguendo ut supra, inter forum,
& forum.

Aut enim loquimur in foro conscientiæ,
& supponimus, camporem, qui dat cambio,
esse conscientium, quod litteræ, quas à campua-
rio accipit pro nundinis, sunt inanes, & fi-
ctæ, quia tacitè uterque intendit contrahere
mutuum, & ideo pecunias restituere in lo-
co, vbi sunt datæ; & ita sequitur etiam in
effectu: & isto casu vera est opinio contra
ampliationem, quia in rei veritate, quæ at-
tenditur in isto foro, per ea, quæ scripsi sup.
q. i. num. 529. & infra ampl. 19. num. 1336.
& 37. hoc cambio est mutuum lucrat-
rium; & ita procedit illa Pij V. sancta, diui-
niq; iuris amica constitutio.

Aut loquimur in foro exteriori: & dice-
rem, ampliationem esse veram, quia lex fo-
ri exterioris non iudicat de ipsis, quæ sunt
occulta, & resident in corde; semper enim
campor potest dicere, quod ipse sperabat,
& credebat, campuarium soluturum esse in
nundinis, & quod, nisi ita sperasset, ei non
dedisset cambio.

17 Ad primam confirmationem respondeo,
quod societas officij, & census habent diuer-
sam rationem à cambio; nam in societate
officij potest oculariter, aut saltem per noto-
rietatem apparere de officio, & similiter in
censu potest apparere de fundo, vnde, qui,
ignorato officio, & ignorato fundo, daret
pecuniam ad societatem, vel emeret cen-
sum, esset in euidenti, & latissima culpa, &
diceretur ignorantia crassa, & forsitan affecta-
ta, ideoque inexcusabilis; quo casu paria
sunt scire, vel scire debere, & lex fori, quæ
in his iudicat, non dicitur iudicare de oc-
cultis, sed de patentibus; non sic est in eo,
qui dat pecunias ad cambium, quia, si is
ignoret, an ille, cui dat, indigeat, nec ne
cambio pro illo loco, & an illic habere pos-
sit modum soluendi litteras cambij, potest
esse ignorantia excusabilis, cum hæc indi-
gentia, & modus soluendi litteras sint oc-
culata, de quibus lex fori non iudicat, sed iu-
diciū reseruat Deo, cui hæc fraudes oc-
cultæ sunt patentes; & faciunt quæ scripsi
supra ampl. 10. sub num. 44. vers. verum, &
vers. ratio. & num. 78.

18 Ad secundam confirmationem respódeo similiter, diuersam habere ratiohem, quia qui dat clérico, vel militi ad negotiandum, est in euidenti, & inexcusabili culpa; cum ex manifesta clérici, & militis inhabilitate excludatur omnis ignorantia.

19 Ad tertiam respondeo, quòd ex illa response folum soluendi, vbi nummularius voluerit, clare constat, quòd is nō indigebat cambio, sed mutuo; & ideo qui ei dat, est in latissima culpa, seu dolo; quia iam scit, quòd ille vult contrahere mutuum.

20 Ad quartam respondeo, quòd illa procedit in foro interiori, in quo semper apparet veritas; secus in foro exteriori, in quo illa scientia dantis esset occulta.

21 Ad quintam respondeo, ut ad tertiam, quòd tunc clare apparet, quòd is, qui petet cambio, quærerit mutuum, vnde qui ei dat, est in latissima culpa; quare in eo foro, in quo apparet ista veritas, in eo punietur.

Ad sextam respondidi in eodem S. 6. glos.

1. num. 65. Retenta ergo ampliatione cum indistinc-

tionibus, supra adductis.

Subamplia primo eādem ampliationem, ut firmius procedat, quando dans cambio, non firmiter arbitratur, iusticium, cui dat cambio, esse non solutum, sed solum dubitat, an sit solutius, quia dubitās; & ignorans æquiparantur, l. 22. manifestissimi. S. si autem nescius & dubitans, & ibi notat pro singulari Bar. in S. sed quærebatur. sub num. 2. vers. nota etiam. C. de furt. & Io. Hannib. de Canonic. in l. naturaliter. num. 92. & 94. ff. de vsu cap. inter Repeten. tom. 5. fol. 347. vbi alios citat; sed hæc regula, quòd dubitans, & ignorans æquiparetur, an & quando procedat, vide eos, quos allegat Paris. in addit. ad Bar. in loco supra citato.

Quicquid scripserit Fabian. Genuen. d. tract. de camb. initio, num. 47. tom. 6. par. 1. fol. 415. dicens, quòd in dubio debet absūnere, & quicquid dicat Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 299. dicens, quòd ignorantia facti, quod quis tenetur scire, non excusat.

Subamplia secundo, ut multò firmius procedat, quando campor, qui dat cambio, non solum non est conscius impotētiæ campanij, & de ea non solum non est dubius, sed firmiter tenet, eum esse solutum litteras cambij, quia, quamdiu est in ista bona fide, cambium remanet licitum, & potest li-

cite lucrum percipere, Fabian. d. tract. de camb. sub num. 46. vers. decima. ibi, si verò campor, nec dissentunt Nauar. in loco, supra proximè citato, & lo. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. S. 2. sub num. 23. de usur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 139. uod credi non

24 Confirmatur hæc subampliatio, quia si Caius ignoranter, & bona fide emerit censum, impositū super re aliena, & annuas pensiones eadem bona fide acceperit, & consumperit, non tenetur eas restituere, Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 15. vers. sequitur hinc, in fine, col. 14. fol. 408. &, quòd pensiones, quas bona fide accepit, possit tutta conscientia retinere, easq; non debet restituere, neque computare in sortem, scribunt Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num. 118. q. 26. 14. q. 3. Virgin. de Boccat. tract. de censib. par. 2. nu. 44. vers. vigesimo sexto. lo. Azor. de instit. morab. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 7. q. 7. ibi, quæres quid dicendū. col. 825. & latè Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 394. vers. quartum est. & procedit hæc confirmatio siue venditor sciuerit, rem esse alienam, aut non liberam, siue ignorauerit, Molin. in loco supra proximè citato; & quòd si mulier parasset emere censum, & ideo pecuniam daret alicui, à quo decipiatur, quia is, recipiendo pecuniam, dicat, quòd pecuniā illam accipit sub censu, asserendo eidem mulieri, quòd census potest ita securè contrahi, & censum aliter non constituat; inquit neque aliquam de pecuniarum datione faciat scripturam, & mulier, fraudum ignara, illi simpliciter credat, possit dicta mulier census pensiones, quas bona fide ab eo reciperet, tutta conscientia sibi retinere pro suo interesse lucri cessantis, sequitur Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 4. vers. hinc planè. & facit quod scripsi supra ampliat. 8. num. 118. & seqq.

Consolidatur hæc confirmatio, quia licet societas officij fuerit inita super officio, cuius fructus iam ab alijs societatibus, antea contractis, erant absorti, & ideo videatur inita sine officio, tamen si is, qui postremò societatem iniuit, ignorauerit anteriores societas, & bona fide exegerit fructus suæ societatis, non tenebitur neque in foro interiori, neque in foro exteriori illos restituere, seu computare in sortem, per ea, quæ, loquendo in foro exteriori, secutus sum supra quæst. 1. num. 329. & 330.

25. Sistamus quæso tantisper gradum super hac confirmatione, & eius consolidatione, quia est passus difficilis: & contra eas obstat Rot. diuers. in decis. quas securus sum ead. q. 1. sub num. 209. vers. infero. & num. 332. dum dixit, fructus perceptos ex censu, creato sine pecunia numerata, & fructus, perceptos ex societate officij post alienatū ipsum officium, esse restituendos, seu computandos in sortem, quamvis sint percepti bona fide. Pro huius ancipitis confirmationis resolutione distinguo.

Aut loquimur in foro interiori; & dico, veram esse confirmationem, per ea, quæ dixi in confirmatione, & supra q. 1. sub num. 178. vers. intellige. & clarius num. 180.

Aut loquimur in foro exteriori; & facio duas conclusiones. Prima conclusio est contra confirmationem, quod fructus sint restituendi, seu computandi in sortem; quia paria sunt, emere censem sine fundo, & emere censem super fundo alieno, inscio domino fundi, sed qui perciperet fructus ex censu creato sine fundo, imò ex fundo infructifero, aut alias incapable, seu postea perempto, teneretur illos restituere, ut secutus sum supra q. 1. num. 176. & seqq. num. 202. 205. & 208. ergo tenetur etiam restituere is, qui emerit censem, impositum super fundo alieno; neque debet audiri, allegando ignorantiam, quia etsi sit verisimilis, cum quilibet emptor desideret, & studeat emere utiliter, & secure; & tunc emat utiliter, & secure, quando fundus est venditoris, liber, & idoneus; & ideo, si census reperiretur impositus super fundo alieno, plusquam verisimile est, quod emptor ignorauerit; tamen hæc ignorantia in foro exteriori reputatur inexcusabilis, ut in ijsdem ferè terminis dixi supra num. 17. quia debebat se assecurare, quod vendor census haberet illum fundum, de quo si se non assecurauerit, contentus sit, quod illa ignorantia prosit sibi ad agendum ad interesse, ut dixi in seq. conclusione. Secunda conclusio est, quod si emerit ignorantem, vt dixi, poterit, cum rescuerit, fundum esse alienum, agere ad restitutionem sortis, & ad damna, & interesse, quorum damnorum, & interesse emendationem potest obtinere, probatis requisitis, de quibus vide quæ latè scripsi supra ampl. 8. num. 99. & seqq. quod si scienter emisset, tunc nec ad interesse age posset, teste Medin. quem secutus sum d. q. 1. num. 179.

Hac resolutione firmata cum duplicis fori distinctione, & duabus adhibitis conclusionibus; ad ea, quæ pro consolidatione confirmationis adduximus supra vers. consolidatur. respondeo, distinguendo inter ignorantiam iuris, & inter ignorantiam facti: ea enim, quæ iuris est, non excusat, præsttim in foro exteriori, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. nu. 511. & 512. & talis est ignorantia eius, qui exigit fructus ex censu, empto sine præsenti pecuniæ numeratione, cum ius constitutionis Pij V. de censibus hanc requirat numerationem; talis etiam & longè maior est ignorantia eius, qui emeret censem, super nullo fundo impositum, quia iste erraret in iure gentium, imò in iure naturali, cum non possit emi census fundi sine fundo: Ignorantia vero facti est duplex, quædam non reputatur culposa, & ideo est excusabilis, qualis est ignorantia, de qua supra d. vers. consolidatur. quædam autem est culposa, seu crassa, & hæc est inexcusabilis, & in hac dicimus, paria esse, scire, vel scire debere, & talis est ignorantia eius, qui exigeret fructus societatis officij post alienatum officium, ut scripsi supra q. 1. num. 333. & eius, qui exigeret fructus census, impositi super re aliena, domino rei inscio: transeo ad alia.

26 Extende hanc subampliationem, ut procedat etiam si postea campsor sciat, capsularium non indiguisse cambio, illudq; soluere non posse, quia cambium remanebit adhuc licitum, etiam pre tempore futuro, tum per ea, quæ dixi supra num. 1. & seqq. & num. 15. & seqq. tum quia, qui bona fide præscripsit, non obligatur in foro conscientiæ ex scientia postea superuenienti, Bal. quem secutus sum infra ampl. 19. num. 48. in fine. Petr. de Vbal. in cap. si diligenti. num. 102. de præscrip. inter Repet. tom. 4. fol. 157. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 7. art. 2. sub 4. conclus. ibi, exceperim præterea. col. 3. versus finem, fol. 378. & alij, quos citat, & sequitur Tiraq. in reg. cessante causa, limit. 12. num. 16. vers. id quod. & esse communem opinionem scribunt, & sequuntur Abb. in cap. 8. quia plerique. nu. 25. q. 7. de immun. eccles. quem retuli infra ampl. 19. nu. 127. in fine, Franc. Aret. in cap. 42. cum causa. sub num. 27. de testib. & latius, & ordinatè, articulo discussio, Io. Andr. in cap. possessor. q. 6. num. 39 & seqq. & in specie num. 43. vers. concludo igitur. & seqq. de reg. iur. in 6. & de communi

testatur etiam Imol. quem citat, & sequitur Tiraq. in loco supra proximè citato, hancq; communem esse testatur, & sequitur, sive in-
etè adductis rationibus, & citatis multis, Balb. tract. de præscript. in 2. par. 3. par. prin-
cip. q. 9. per totam, tom. 17. fol. 66. & con-
sentient etiam Theologi, nempè Medin. in
suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 18. vers.
his tamen. & vers. in hoc igitur. col. 3. & 4.
fol. 145. & 146. vbi, articulo discuso, fir-
mat, præscribentem posse tutu conscientia
retinere, non obstante superuenientia scien-
tiæ, dummodo in præscriptione interuenie-
rint omnia necessaria, & Mich. Sal. ad D.
Thom. 2.2. q. 77. art. 1. controu. 17. initio,
vers. secundo quòd. & num. 8. vers. ad secun-
dum. fol. 65. & 69. qui etsi articulum hunc
incidenter tangat, argumentando ex eo in
alia quæst. tamen nullam in eo mouet con-
trouersiam, nullamq; sentit difficultatem;
quicquid scripsit Petr. de Anch. in cap. 8.
quia plerique. nu. 10. q. 3. de immun. eccles.
& in cap. peccatum. sub num. 11. col. 11. in
fine, de reg. iur. in 6. vbi de contraria testatur
Theologorum opinione, licet ipse eam non
sequatur, sed teneat istam, hancq; commu-
nem opinionem, quòd qui legitimè præscri-
psit, sit tutus etiam in foro conscientiæ, te-
net, etiam si mala fides oriretur post com-
pletam præscriptionem statutariam, dato
quòd non esset completa, secundum tempo-
ra, prefixa à iure communi, Felyn. in cap. vlt.
quoniam. sub nu. 7. in 2. saluat. de præscrip-
ita etiam ius contractus, scilicet bona fide ac-
quisitum ad lucrandum fructus, & interesse,
non debet ex scientia superuenienti irritari,
& adde, quæ scripsi supra ampl. 10. num. 14.
vers. exemplifica primo.

27 Contra hanc extensionem in casu cambij
tenet Fabian. vbi supra.

Comprobatur primo hæc contraria opini-
o, quia etiam is, qui ignoranter, & bona fide
emerit censum, impositum super re aliena,
debet postea, cum hoc rescuerit, contra-
sum rescindere, repetito pretio, Medin. in
suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vñfur. acquisit.
q. 15. vers. sequitur hinc. col. 13. & 14. fol.
408. Nauar. in loco supra proximè citato,
Virg. de Boccat. d. par. 2. nu. 45. & Io. Azor.
d. cap. 7. q. 7. versus finem. & quòd si empor.
conscius fuerit, rem esse talen, in qua cen-
sus collocari non poterat, tunc accipere non
possit pensiones, & accipiendo, teneatur in
partem preiij computare, scribit Ludou. Mo-

Jin. de iust. tom. 2. de contractib. disputat.

394. vers. quartum est. in fine.

Comprobatur secundo ex his, quæ scripsi,
& secutus sum supra ampl. 10. sub num. 52.
vers. contra.

A M P L I A T I O X V I I I .

S V M M A R I V M .

Cambium, cuius interesse, seu accessiones conuer-
tuntur in capitale, est licitum, num. 1.
Cambium cum recusa, recambio, & cambium
cum conuersione accessionum in capitale sunt
synonyma, num. 2.

M P L I A X V I I I . ut licitum

sit etiam cambium, cuius in-
teresse, & accessiones multis
vicibus conuertuntur in capi-
tale cambij, ita ut cambium
primum impinguetur, & crescat per reno-
uationem, iuxta ea, quæ scripsi infra §. 6.
glos. 1. num. 82. vers. ad septimum. imò sit
licitum etiam quòd interesse alterius interes-
se, idest accessio accessionis, conuertatur sem-
per in capitale, donec cambium, sic auctum,
non soluatur, per ea, quæ scripsi infra §. 7.
glos. 2. num. 33. & seqq. & num. 41. & seqq.
† quia eiusmodi cambium cum conuersione
accessionum, & interesse in capitale est idem
cum cambio cum recusa, & recambio, quæ
propterea sunt synonyma: sed hæc omnia,
nempè cambium cum recusa, & recambio
sæpè firmauimus esse ex se licita; ideo de
eiusmodi cambio, cuius interesse conuerti-
tur in capitale, non est pluribus agendum.

A M P L I A T I O X I X .

S V M M A R I V M .

Forum interius, & forum exterius diffiniter
quandoque disponunt, num. 1. & seqq.

Forum politicum differt aliquando a foro chri-
stiano, num. 5.

Lex est ratio continua, eterno, & semper eadem,
num. 19.

Iustitia, & ius consistunt in rectitudine, num. 17.

Lex diuina est eadem cum lege naturæ sub n. 14.

Lex naturæ unde proficitur, num. 7. Est ea-
dem apud omnes, & in cuiusque corde est

scripta, num. 9. Est immutabilis, num. 11.

Declaratur, num. 22. & seqq. Alter procedit

in iudicando, quam lex humana, num. 12. & 13. Et quare, num. 33. & seqq. Est eadem cum lege diuina, num. 14. Lex positiva, seu humana differt à lege naturali, & diuina, sub num. 6. Contrarium, num. 14. & seqq. num. 38. 42. & seqq. Errant propterea, aut non bene loquuntur, qui dicunt, hanc, vel illam legem esse contra ius naturale, num. 40. & seqq.

Lex humana quid sit, sub num. 6. vers. prima. Profluit à lege naturali, tanquam riuis à fonte, num. 14. Ideoq; legi naturali, seu diuina derogare non potest, num. 45. Sed potest solum illas interpretari, num. 40. & seqq.

Lex humana non est eadem apud omnes, num. 8. Et quomodo sit eadem apud omnes, num. 19.

Est variabilis, num. 10. Quomodo non varietur, num. 19. & 21. Declaratur, num. 39.

Iudicando quomodo differat à lege diuina, num. 12. & 13.

Lex est contractus inter Principem, & subditos, num. 138.

Lex omnis constat ex ratione naturali, num. 15.

Debet esse iusta, & honesta, num. 16. Alias non est lex, num. 18. & 51.

Naturale iudicium in iurisprudentia multi varlet, num. 46.

Ius naturale, & est explicitum, & implicitum, Diuinum sub num. 38.

Matrimonium apud Persas, Medos, & Parthos intersanguine coniunctos, num. 8. Cur intersanguine coniunctos prohibeatur, num. 41.

Vxor unica inter consanguineos apud Arabas, sub num. 8.

Medicina ars est immutabilis, licet variet medicamenta, num. 20.

Vim vi repellere, Parentibus,

Patriæ, & Magistratis obtoperare, Fidem seruare,

Iusurandum adimplere, & Deposum reddere

Condemnato ad mortem non licet se per vim defendere, num. 25.

Parentibus, & Magistratis quando parendum non sit, num. 26.

Fides qui seruanda non sit, num. 27.

Depositum prædoni quando restitui non debat, num. 28. & 29.

Hastes, & patriæ proditores trucidare, gloriosum est, num. 30.

Causa cessante, cessat effectus, num. 32.

Iudex in iudicio ciuili quare non potenti, non im-

partiatur officium, sub num. 33. Et in iudicia criminali quare sine manifesto accusatore non procedat, num. 34. Quare iudicet ex actis, & non ex propria conscientia, num. 35.

DEVS, eiusq; loco confessarius iudicat sine instantia partis, sine accusatore, & ex scientia, sibi priuatim nota, num. 36.

Membrum præcidendum, ne totum pereat corpus, sub num. 40.

Lex humana, & iusta obligat in conscientia, sub reatu peccati mortalis, nu. 47. & seqq. Etiam si fuisse lex pœnalis, num. 52. Declaratur, num. 51. & 52. Qui aliter diceret de lege pontificia, erraret in fide. Et quando excusat in foro conscientie, num. 48. Et an obliget ad culpam, etiam si legislator expresserit nolle, quod obliget, num. 53. & 54.

Lex consultoria, etiam si diuina sit, non obligat, &c. sub num. 54.

Legi positiva parendum est, etiam si præciperet, intermitii aliquod bonum, Nunquam tamen per obedientiam fieri debet peccatum, num. 49.

Peccatum quia prohibitum, & quandoque prohibilum, quia peccatum, sub num. 49.

Lex si non fuisset, homo non peccasset, explicatur ibidem.

Principum potestas procedit à DEO, num. 50.

Peccatum existit, quicquid est malum in moribus, sub num. 50.

Lex positiva an naturalis attendi debeat, ubi agitur de restitutione facienda, num. 57. & 58.

Restitutio rei an, & quando sit facienda, referuntur variae doctrinae, num. 57. & seqq.

Conscientia etiam erronea ligat, ideoq; est depo- nenda, num. 59. ubi latè declaratur.

Minus malum eligi quando debeat, sub nu. 59. confirm. 2.

Restituere tenetur, qui scienter retinet rem alienam, num. 60. & seqq.

Raptor, & tenetur restituere, & pœnitere de Fur } peccata, non sufficit, si habeant fa- cultatem restituendi, num. 63.

Mutuator, exigens ultra murum, tenetur re- stituere, num. 64. & seqq.

Contrabens, incusso metu, tenetur restituere, sub num. 67. subillat. 2. In foro interiori tenetur etiam si fuerit metus reverentialis, vel alius, non cadens in constantem virum, sub eodem num. 67. explic. 1.

Contrabens cum pupillo sine tutorc, tenetur resti- tuere, num. 68. & seqq. Declaratur, num. 74. & 75.

Contrabens cum furioso, tenetur restituere, num. 76.

Contrahens cum errante, tenetur restituere, num. 77. & seqq.

Hypocrita, quæ sub nomine boni Christiani acquisiuit, tenetur restituere, num. 79. & 80.

Contrahens cum Ecclesia sine superioris assensu, tenetur restituere, num. 81.

Legatarius, soluto sibi legato, & per errorem facti non detracta falcidia, tenetur illam restituere, num. 82. & 113. Secus si per errorem iuris, num. 112. Declaratur sub cod. num. 113.

Contrahens de re aliena sine consensu veri domini, tenetur restituere, sub num. 82. illat. 6. ubi latissime hoc extenditur, restringitur, & declaratur.

Restituere quando quis teneatur in foro conscientiae, quamvis sit tutus in foro fori, sub num. 83. illat. 1. Et quando non teneatur in foro conscientiae, quamvis obligetur in foro fori, num. 84. & seqq.

Vsura est rapina, videturq; maius delictum, quam furtum, & quasi equale homicidio, & quomodo distinguitur à furto, & rapina, num. 64.

Mutuatarius dicitur coacte soluere, etiam si dicaret, quod illud plus sponte soluit, num. 65. & seqq.

Metus, cadens in constantem viram, qui dicatur, remittitur arbitrio iudicis, sub n. 67. explic. 2.

Metum, cadentem in constantem virum, quando metiamur ex qualitate personarum metuentium, & quando non, sub num. 67. vers. prima. & seqq.

Mors potius obeunda est, quam, quæ fœda sunt, committere, sub num. 67. vers. secunda.

Honor in foro morali ceteris rebus anteponendus est, sub num. 67. confirm. 3.

Peccatum non voluntarium quando sit peccatum, & quando non, declaratur sub num. 67. vers. non obstat. & seqq.

Impuberis actas quod videt, ignorat, num. 70.

Impubes obligatur naturaliter, num. 73.

Sententia, lata ex falsis probationibus, vel ex defectu probationum, licet sit iusta in foro fori, tamen est iniusta in foro conscientiae, ideoq; in hoc foro non tuerit, num. 83. & seqq. ubi multa adducuntur exempla.

Restituere non tenetur, qui rem habet cum consensu veri domini, num. 92. & seqq. Et quid, si sit turpiter acquisita, num. 98. & seqq.

Incapax acquisitionis, an rem, quam tenet de consensu domini, debeat dimittere, num. 93. & seqq.

Meretrice an teneatur restituere acquisita ex meretricio, num. 98. & 99.

Mathematicus, qui suasionibus inducit ad sibi credendum, & inde acquirit, an teneatur restituere, num. 98. & 99.

Iudex an teneatur restituere, quod sibi ob iusiam, vel iniustum ferendam sententiam est datum, num. 100. & seqq.

Testis an teneatur restituere, quod ob ferendum verum, vel falsum testimonium sibi datur, num. 100. & seqq.

Aduocatus an teneatur restituere, qua ex iniustio acquisiuit patrocinio, num. 103.

Possidentis melior conditio in pari causa turpidinis, sub num. 102.

Restituere an teneatur, que sibi data sunt, ne faciat aliquod malum, num. 104. & seqq.

Hæres an teneatur soluere legata, relicta in testamento minus solemnii, sub num. 114. vers. infero. & seqq. in quibus declaratur.

Hæres ab intestato an teneatur restituere hereditatem hæredi ex testamento minus solemnii, num. 115. in fine, 116. & 117.

Electus, si electio non sit nulla, sed veniat annulanda, an interim possit sine peccato retinere beneficium, num. 121.

Restituere an teneatur, qui dolosè, & ex malitia rem habuit à vero domino, num. 122.

Aduocatus, Medicus, Cursor, & Iudex } an teneantur restituere, quod ultra iustum sine dolo receperunt, num. 124. & seqq.

Præscribens an teneatur restituere, num. 127. & seqq.

Præscribere an possit, qui tenetur ex propria obligatione, & quid, si statutum præsumat solutionem, seu satisfactionem, sub num. 133. illat. 4.

Præscriptio statutaria an habeat locum in debito iurato, sub num. 133. not. 4.

Præscriptio cum mala fide an possit induci à statuto, sub num. 133. illat. 4.

Præsumptio, quantumuis iuridica, an sit alleganda, sub num. 133. not. 3.

Confiscata bona à lege potest delinquens tuta conscientia retinere, donec non sit condemnatus per sententiam iudicis, num. 139.

MPLIA XIX. vt tam contractus cambij, quam alterius negotij possint esse liciti in foro exteriori, idest, in foro fori, seu contentioso, qui in foro interiori, idest, in foro poli, pœnitentiali, seu conscientiae sint illiciti, prout aduertunt Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. num. 48. de vfur. dicens, quod mens contrahentium cambia, posset

posset esse corrupta, sed illa, inquit, habet solum Deum ultorem, non Ecclesiam; & Salyc. in auth. ad hæc. sub num. 18. q. 21. C. de vñs. dicens quod textus, & leges, quæ dicunt rem posse carius, seu minori pretio vendi, dummodo non excedatur medietas iusti pñtij, loquuntur in foro iudicario, non in foro pñnitentiali, & sic quoad peccatum, de qua re late egí supra ampl. 10. num. 41. & seqq. t & è conuerso, potest dari contractus, qui sit licitus in foro conscientiae, & illicitus in foro fori, quia in foro conscientiae attendit veritas, Nauar. in cap. si foeneraueris. not. 16. sub num. 54. vers. aduertendum. ibi, quarta vt mutuans. 14. q. 3. & in cap. nauiganti. num. 26. vers. in solo vno. de vñs. Si militer quis ratione damni illati potest teneri in foro contentioso, & non in foro conscientiae, quando damnum fuit illatum, non ex proposito, nec ex lata culpa; quo casu sufficit in foro conscientiae reddere pñnitiam, secundum Felyn. in cap. 1. fallent. 6. cas. 3. sub num. 41. de constit. Idem dicimus de creditore, qui debitori furto subtrahit tantudem, & de eo, qui rem propriam, vel æquivalentem detentori furatur; is enim licet in foro conscientiae tutus sit, seruatis aliquibus conditionibus, de quibus Couar. var. resolut. lib. 1. cap. 2. sub num. 14. vers. quarto ex principali. & num. 15. per totum, & latius Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 11. col. 4. initio, vers. quibus non obstantibus. fol. 102. & excusatetur etiam à poena furti, Clar. recept. sent. lib. 5. S. furtum. vers. excusatetur autem. tamen non est forsitan ab omni poena tutus in foro fori; & sine (forsitan) quando non essent seruatæ omnes conditiones, requisitæ, quia, si creditori daretur hæc facultas, vt in recompensam posset clam rem sui debitoris accipere, facile daretur occasio iniurijs, furtis, infamiæ, & scandaliis, eò, quod multi fingerent, rem sibi debitam esse: multi etiam putarent, debitum suum liquidum esse, cum non sit liquidum; multise de iustitia desperare dicerent, aliaq; multa possent vel fingere, vel obijcere, per quæ fura vellent defendere; quibus omnibus lex vt obuiet, prohibet, ne quis auctoritate propria sibi ius dicat, Medin. d. q. 11. col. 6. vers. respondetur. fol. 103. & licet dato casu, in quo hæc omnia cessarent, ideoq; cessare deberet in eo legis prohibitio secundum Medin. in loco, supra proximè citato; tamen quod adhuc legis prohibitio non ces-

set, suadetur ex his, quæ scripsi supra q. 1. sub num. 507. & 508. & quod sit differentia inter vnum, & alterum forum, scripsi formaliter supra q. 1. num. 534. & satis patet ex his, quæ scripsi supra ead. q. 1. num. 528. & seqq. in nro. num. 506. & seqq. & apertius ex his, quæ scripsi infra sub num. 83. & seqq. ad illum.

3 Confirmatur primo hæc ampliatio in secunda parte, quia vñsa nautica, id est illud, quod mutuator recipit ultra sortem mutuantam, est à iure pontificio vetita, quoad forum exterius, & etiam quoad forum interius, si propter pecuniæ, aut alterius rei mutationem accipiatur, secus si ob solam securitatem præstitam recipiatur, quia isto casu in foro interiori licite percipitur, sed pro intelligentia huius differentiæ inter vnum, & alterum forum in isto casu, vide quæ scripsi supra q. 1. sub num. 506. vers. primum est forum. & num. 528. & q. 5. sub nu. 100. & adde casum, quem posui §. seq. gl. 5. sub num. 109.

4 Confirmatur secundo, ex casu, quem sequutus sum supra ampl. 8. num. 120. illat. 4.

Confirmatur tertio, quia licet beneficiarius, alienans rem ecclesiasticam contra tenorem extrauagantis Pauli II. vel inconsulto Romano Pontifice, peccat mortaliter, & multas, grauesq; poenas, & etiam excommunicationem incurat, vt admonet Nauar. in cap. non liceat papæ. num. 13. vers. septimo denique. & num. 15. in comment. de alien. rer. eccles. tamen, si alienatio fiat ob iustam causam, sine dolo, vel contemptu, sed bona fide, & præsertim si foret ecclesiæ utilis, non peccat mortaliter, neque præfatas poenas incurrit in foro conscientiae, cum Papæ consilium requiratur quoad forum exterius; secus quoad forum interius, in quo sufficit seruare ius naturale, & diuinum absque contemptu legis humanæ, Nauar. in d. cap. non liceat papæ. num. 16. & seqq.

5 Confirmatur quarto, quia etiam inter forum politicum, & forum christianum reperitur in hac materia diuersitas: nā cambiorum negotiatio in se est turpis, & iniusta, si loquamur politicè, & œconomicè; si vero loquamur christiane, est licita, quia multa politice sunt abhorrenda, quæ christiane iusta sunt, & è conuerso, vt, concordando D. Thomam, quem vti contrariam citauit par. præcedenti, sub num. 50. vers. demum. explicat Hier. de Luc. tractat. de camb. in verbo, pro decisione, sub num. 10. & 11. tom. 6. pars. 13.

fol. 409. hæcque inter forum, & forum diversitas videtur etiam de mente Apostoli, in illis verbis, quæ retuli supra q. 1. sub num. 65. *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

6 Ut huius ampliationis veritatem à radice cognoscamus, & pro vniuersali totius materialis intelligentia, explicandos esse censeo. quatuor articulos, nedum utiles, sed valde necessarios ad resolutionem quamplurimum difficultatum, quæ in foro animæ occurunt.

Primus articulus est: *An lex positiva, idest, humana, & lex naturalis, seu diuina differant.*

Secundus articulus: *An lex positiva obliget etiam in foro interiori, idest, in foro animæ, siue conscientiæ.*

Tertius articulus; supposito, quod obliget: *An obliget in consequentiam ad restituendum, quod ex actu, contra eius prohibitionem gesto, fuerit acceptum.*

Quartus articulus; supposito, quod non obliget: *An detur aliqua certa regula ad cognoscendum, quando quis teneatur restituere, & quando non, præsentim in foro conscientiæ.*

Quoad primum articulum. Videtur prima facie dicendum, quod plures habeant inter se iuuicem differentias.

Prima quarum est, quod lex positiva, omissis varijs eius definitionibus, seu descriptionibus, quas colligunt Sot. de iust. & iur. lib. 1. q. 1. art. 1. initio, fol. 3. Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 3. num. 25. & 28. tom. 1. fol. 292. Fortun. Garc. de vlt. fin. iur. can. & ciuil. num. 7. eod. tom. fol. 107. & alij in diuersis locis; & omissis descriptionibus, de quibus in cap. 1. dist. 2. & cap. 2. dist. 4. in effectu est placitum Principis, quod ipsi Principi, vel populo est utile, vt dixit Trasymachus apud Platonem, relatus à Coras. de iur. ciuil. &c. par. 1. cap. 3. fol. 59. & à Bolog. dict. tract. de leg. &c. cap. 9. sub num. 6. fol. 299. vterque tom. 1. & probatur ex l. 1. ff. de constit. princip. quod principi placuit, legis habet vigorem. & sic lex positiva procedit ab opinione Principis, & non à certa ratione; quare Iurecons. in l. 12. prospexit. ff. qui & à quib. manu. ait, legem, quamuis duram, esse seruandam.

7 At lex naturalis, non ab hominis, idest, Principis, seu Populi opinione, sed ab ipsa natura proficiscitur, Coras. in loco, supra proximè citato, cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, for-

ciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. ad Rom. 2. num. 14. & apertius differentiam docet text. in cap. 2. duæ sunt. 19. q. 2. in illis verbis. duæ sunt, inquit, leges: una publica, altera priuata, publica lex est, qua à sanctis Patribus, scriptis est confirmata, ut est lex canonum, &c. lex vero priuata est, quæ insinclus sancti Spiritus in corde scribitur, &c. & expreſſè differentiam argumentatiuè adducit Bologn. d. cap. 9. num. 4. in fine, & num. 5. fol. 299. dicens, quod leges humanæ nullis naturæ fundamentis subnixaæ sunt, sed ab hominum potius opinione pendunt: at ea omnia, inquit, quæ rationi, atque honestati conueniunt, ad legem naturalem spectant, & non ad leges humanas.

8 Secunda differentia, qua huius etiam pri- mæ veritas explicatur, est, quod lex huma- na non est eadem apud omnes, sed diuersa, & inuicem opposita, & consequenter non apud omnes est idem bonum, & æquum positiuum: apud nos enim lege nostra matrimonium inter consanguineos, vel affines maximè improbat: apud Persas vero, Medos, & Parthos eorum lege solemnissimum, ac iustum habetur matrimonium, quod cum matre, sorore, alijsq; consanguineis contrahitur: apud totum Christianum orbem distinctæ sunt singulorum vxores: apud Ar- bas vero unam aiunt esse omnibus consan- guineis vxorem; aliasq; habent barbaras, irrationales, & bestiales leges, quas referunt Coras. d. cap. 3. fol. 59. & Bologn. d. cap. 9. sub num. 6, fol. 292. & quod apud Persas, Assyrios, Parthos, Medos, Aethiopes, Indos, & Scotos inter ascendentibus, & delendentibus in primo gradu linea rectæ admitterentur connubia, scribunt ij, quos citat Thom. Sanch. in disputat. de sanct. matrim. sacram. lib. 7. disput. 51. sub num. 6. vers. difficultas. & de prædictis, alijsq; varijs gentium moribus, & legibus in ducendis vxoribus, vide Tiraq. de legib. connub. in l. 7. vbi latissimè. Quinimo & inter nos Christianos, & Catho- licos extant leges municipales inter se pu- gnantes; vt puta, quod filia foemina succe- dat æqualiter cum masculo; & quod non succedat, & similes, quas longum esset re- censere.

9 Sed lex naturæ est eadem apud omnes; quod enim à natura procedit, est constans, æternum, semperq; idem, & ubique idem, sicut ignis, qui apud omnes peræquè populos, & omni tempore est calidus, & vrit; & rerum

rerum bene oleniū odor ab omni suo cunctis fuit mortalibus gratus ; & ideo ius naturale dicitur immutabile , vt dixi in seq. differentia . & quia lex naturalis scribitur in corde cuiuslibet , vt scripsi hic sup. sub nu. 7. & in meo tractat. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. nu. 505. non solum est eadem apud omnes , sed cuilibet est nota , ita vt illius ignorantia neminem excusat , etiam si sit rusticus , silvester , paganus , mulier , & similes , vt fecutus sum d. cap. 8. num. 500. & seqq.

10 Tertia differentia (& infertur ex præcedenti) quia lex humana est variabilis , & mutabilis ; videmus enim in eadem Republica , aut Ciuitate leges ipsas frequenter , ac per breui tempore mutari , corrigi , & abbreviari , Coras. eod. cap. 3. fol. 59.

11 At ius naturæ est immutabile , Arist. ethic. lib. 5. cap. 7. Coras. d. cap. 3. fol. 59. Bologn. d. tract. de leg. iur. & æquit. cap. 26. num. 2. versus finem , fol. 315. & Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 5. sub num. 3. vers. respondent . & habetur in S. penult. sed naturalia. Instit. de iur. nat. &c. & in cap. 3. non est peccatum . dist. 6.

12 Quarta differentia est , quia nos , qui iudicamus secundum leges humanas in foro exteriori ; si causa sit ciuilis ; non iudicamus sine actore , per ea , quæ dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 2. num. 5. & 23. cap. 68. num. 2. & sub num. 8. vers. si de consuetudine . & , si sit criminalis , non sine accusatore , aut legitima inquisitione , vt , loquendo de accusatore , & de iure , scripsi d. cap. 68. num. 2. & , loquendo de inquisitione , scripsi cap. 8. num. 1. 2. 3. & 4. & d. cap. 68. sub num. 8. vers. si de consuetudine . quam inquisitio nem præcedere debet diffamatio , vt dixi cap. 84. num. 11. & seqq. quæ succedat in locum accusatoris , vt dixi eod. lib. 1. cap. 2. num. 8. Similiter nos non iudicamus ex veritate , nobis priuatim nota , sed ex actis , & probatis , vt fecutus sum eod. lib. 1. cap. 80. num. 1. & sæpiissimè iudicamus ex testium depositionibus : Item leges humanæ , seu ius positivum multa mala dimittunt impunita , vt patet ex his , quæ scripsi supra ampl. 10. num. 44. & seqq. & num. 49. & multa non mala puniunt , quando nituntur præsumptionibus ad obviandum fraudibus , vt patet ex his , quæ scripsi supra q. 1. sub num. 529. iuncto num. 507. & seqq. ad illum , & infra num. 37.

13 At DEVS , & Confessarius eius loco hinc

in terra , qui iudicant secundum ius naturale , & diuinum in foro interiori , iudicant , & condemnant sine actore , sine accusatore , & sine inquisitione , & ex veritate , non ex actis , & probatis , & nunquam ex testium depositionibus , sed semper ex infallibili veritate coram Deo , & ex rei confessione coram confessario , coram quo ipse reus est etiam accusator , & testis : Similiter ius naturæ , seu diuinum nullum malum dimittit impunitum , & nullum bonum irremuneratum .

Demum lex positiva , & ius gentium non solum differunt à iure naturali , sed multa , quæ fuerant iuris naturalis , sunt à iure gentium , & positivo sublata , vt argumentando deducit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 3. q. 1. vers. verum. col. 14.

14 Contrarium , his non obstantibus , est verum ; nempè , quòd lex humana non differt à lege naturæ , nisi prout differunt pars à toto , riuis à fonte , genitum à generante , fundatum à fundamento , quare non ab hominum opinione , sed à naturæ decreto profluit , vt rectissimè post Stoicos , & Cicer. scribunt Coras. de iur. ciu. &c. par. 1. cap. 3. ibi , certe rum hæc qualemqualem. tom. 1. fol. 59. & Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 3. num. 11. fol. 291. & quòd tam lex canonica , quam ciuilis deriuentur , & profluant à lege naturæ , ostendit Fort. Garc. de vlt. fin. iur. &c. nu. 11. & seqq. eod. tom. 1. fol. 108. & , quòd ius ciuile , & canonicum præsupponant ius naturale , tanquam fundamentum , à quo sumunt originem , refert , & declarat ex Fratre Gerardo de Senis disputante , Io. Andr. in cap. peccatum. sub num. 24. & 25. q. 5. de reg. iur. in 6. cuius repetitionem posuit per appendicem ad cap. possessor. & de lege canonica , quòd non differat à lege naturæ , patet , quia procedit ex auctoritate noui , & veteris testamenti , cap. 24. qualiter. dc aecus. & sic ex lege diuina , vt dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 85. num. 6. versus finem , quæ lex diuina est eadem cum lege naturæ , cap. 1. dist. 1. *diuina natura* , &c. & sic una pro altera promiscue sumi potest , & proinde præcepta Decalogi in lege veteri , tradita à Deo , dicuntur legis naturalis , vt sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 2. q. 2. col. 5. & latius cap. 3. q. 2. col. 15. vbi de communi Theologorum opinione ; & consequenter emptiones , locationes , societates , & reliqua huius generis , de quibus extat leges humanæ , à iure naturæ deducuntur , Bologn. d. tract.

d. tract. de leg. iur. & æquit. cap. 24. num. 4. ini-
fine, fol. 313. & conuenit legi humanæ, quod
habetur in Matth. 5. num. 17. nolite putare
quoniam veni soluere legem, aut prophetas;
non veni soluere, sed adimplere. hæcque senten-
tia contraria quatuor conclusionibus expli-
cata est à Sot. de iust. & iur. lib. 1. q. 5. art. 2.
vers. ad quæstionem. col. 2. & seqq. fol. 36.

15 Confirmatur primo, quia omnis lex con-
stat ex ratione, cap. 5. consuetudo. dist. 1. &
ex ratione naturali, cap. 2. erit. & ibi Gl. in
verbo, naturam. dist. 4. Ergo omnis lex pro-
fluit à natura, & sic à lege naturæ. lib. multo

Confirmatur secundo (& tendit ad idem),
quia ubi contingat dubitari de intellectu
alii legis, recurrentia est ad rationem
naturalem; imò ubi eam habemus, super-
fluum est querere legem positivam, vt se-
cundus sum infra §. 7. gl. 2. num. 35. seqq. muri

16 Confirmatur tertio, quia omnis lex est
honesta, iusta, &c. d. cap. erit. dist. 4. & in-
stantum hoc est verum, vt nisi fuerit iusta, &
non erit lex, Sot. d. art. 2. concil. 1. & Mich. in
Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3. conclus. 3.
vers. primus est, fol. 80. sed lex, quæ non de-
riuet à natura, eiusque ratione, non potest
esse honesta, neque iusta. Ergo alib. ergo lo-

17 Confirmatur quarto, quia iustitia non est
aliud, quam quædam rectitudo: ergo ius, &
sive naturale, sive legale, in quædam recti-
tudine consistit, & sic quamvis ius naturale,
& ius legale sint distincta, tamen distinctionis
non est eorum rectitudo; quare, si bene con-
sideremus, ius legale, id est, ius positivum, non
non addit super ius naturale, aliam rectitu-
dinem, sed specificat illam eandem, ita vt
verum sit dicere, ius legale, sive positivum
esse quandam specificationem expressi-
naturalis rectitudinis, vt latè docet Io. Andr.
in cap. possessor. sub num. 12. de reg. iur. in 6.
& proinde ius legale, seu positivum, nunquam
contrariatur, sed semper concordat cum iu-
re naturali, vt ex eod. 18. Andr. securus sum
infra num. 43. vers. confirmatur tertio. nam
sicut aqua capitolina, aqua S. Ioannis Late-
ranensis, & plurium viridarium, & domoq;
rum hic in Urbe sunt distinctæ, & habentq;
distinctas functiones, & proprios usus, &
nihilominus omnes, & quelibet earum sunt
de aqua fœlici, ideoque habent eundem
saporem, easdemque qualitates, ita etiam tam
ius Pontificium, quam Cæsareum, & quod
libet aliud ius habent eandem qualitatem
cum iure naturali, à quo procedunt.

18 Non obstant differentiæ adductæ:
Ad primam enim respondeo, quod Prin-
cipis placitum, procedens ab opinione, &
non à ratione, non est lex, Bologn. de leg.
iur. & æquit. cap. 3. sub num. 20. & 21. tom.
1. fol. 291. hocque benè probatur ex d. cap.
consuetudo. dist. 1. in illis verbis, porro, si ra-
tione lex constat, lex erit omne, iam quod ra-
tione constituerit dum taxat, &c. & dixi infra
num. 51. & quod legis nomine indigna sint,
quæ rationem non habent, scribit Coras. de
iur. ciuil. &c. cap. 3. versus finem, ibi, neque
enim negatiure consultus. eod. tom. 1. fol.
59. quare leges Tiranni, leges appellari non
possunt, quia deest illis legis substantia, quæ
est ratio.

19 Ad secundam respondeo, quod etiæ leges
humanæ non sint eadem apud omnes, sed
diuersæ, imò sunt variabiles, vt dicimus in
tertia differentia; tamen (quod tibi parado-
xum videbirur) sunt apud omnes semper eæ-
dem, & numquam mutantur, quia sicut spe-
culum, quamvis in eo diuersæ figuræ inspi-
ciantur, ac ex diuersis obiectis varientur,
semper manet idem, & numquam mutatur,
sed quia variantur obiecta, variantur speculi
representationes, ita quoque omnis lex sem-
per est iusta, & in hoc adeo est eadem apud
omnes, atque in hoc invariabilis, vt si ali-
ter foret, non esset lex, per ea, quæ dixi sup.
n. 15. & seqq. sed quia varijs sunt populorum
mores, & variantur causæ, variatur legis di-
positio, sed non mutatur lex, quæ est ratio
continua, æterna, & semper eadem: & data
hac morum varietate, & causarum variatio-
ne, variatur legis dispositio, sive lex sit hu-
mana, sive sit naturalis, & diuina; vt infe-
rius ostendam, non tamen lex unquam mu-
tatur, sed mutantur res, quæ lege indigent:
vel aliter, & breuius responsionem forman-
do, dico, quod immobilitatem in lege in-
telligimus, durante eadem causa legis, quia
tunc, supposita iustitia legis, & sic erit lex,
non potest mutari, quia fieret iniusta, & sic
non esset lex; & proinde implicaretur con-
tradictio; at è conuerso, data causæ muta-
tione, lex, quæ in opposita causa erat iusta,
non esset amplius iusta, mutata causa, &
ideo non esset amplius lex; & consequenter
alia opus est lege; siue loquamur de lege
humana, siue de lege naturali, & diuina, vt
aperte ostendi in sequenti responsione.

Quicquid aliter quoad ius positivum do-
cuerit Leonar. Leis. de iust. & iur. lib. 2. cap.

5. sub num. 3. versus finem, dum scribit, quod semper manet ius naturale, & illud dicat, etiam si defectu materiæ hic, & nunc non me obliget actu, & semper vim habet, manentibus ijsdem circumstantijs materiæ, ad differentiam, inquit, iuris positui, quod, inquit, potest tolli, etiam si nulla fiat mutatio circa materiam; egregie enim cum nobis sentit de iure naturali, sed dissentit de iure posituo.

20 Corroboratur hæc responsio, quia medicinalis regula est, vinum esse hominibus congruum; & huic regulæ non derogatur, dum infirmo vini potus interdictus, sed mutatio fit in homine, cui perpetua illa regula non congruit, D. August. lib. 1. confess. quem sequitur Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 3. art. 1. col. penult. versus finem, fol. 306. quare licet medicinæ ars medicamenta variet secundum varias morborum causas, & infirmorum complexiones: calida enim frigidis, & frigida calidis curat: exilibus, pueris, senibus, & non robustis iuuenibus helleborum negat, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 56. num. 2. versus finem; tamen nemo sanæ mentis dicet, propterea medicinæ artem esse mutabilem, & variam; sic & Dominus Redemptor noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, & elatis præcipiter humilitatem.

21 Ad tertiam differentiam, (quæ est ferè eadem cum secunda præcedēti, & ideo uberior soluam eandem secundam) respondeo, negando differentiam; quia, data variatione, seu mutatione causæ, ob quam variari, seu mutari debeat lex, mutanda est, siue sit lex humana, siue sit naturalis, & diuina, per ea, quæ dixi in præcedenti responsione; & hic, exemplis rem explicando, multipliciter ostendo.

22 Primo, quia lex diuina, seu naturæ posuerat hominem in paradiſo voluptatis, vt custodiret illum, quia homo erat innocens, & non peccauerat; at postquam homo fuit factus nocens, & peccator, & sic variata, seu mutata fuit causa, eiecit eum de paradiſo: similiter ante peccatum originale, & dum natura erat innocens, terra sine cultura, & sine labore producebat fructus; at, commisso peccato originali, & lapsa natura, terra non sine cultura, & non sine labore fructificauit; & haec omnia facta sunt per legem na-

turæ, & Dei, vt latius ostendi supra q. 1. nu. 48. & 49. Ergo, mutata causa, mutatur etiam lex naturæ.

23 Secundo, quia communis rerum possesso erat quidem de iure naturæ incorruptæ ante commissum originale peccatum, vt securus sum supra q. 1. num. 40. & 48. sed lapsa natura, commissioq; originali peccato, & sic, variata causa, eodem iure naturali introducta est rerum diuīsio; hæcq; distinctio probatur, quia, alias, sublata hac duplicitis naturæ distinctione, aperte sibi ipsi contradiceret text. in cap. 7. ius naturale. dist. 1. dum afferit, de iure naturali, communem omnium esse possessionem, & postea subdit, de eodem etiam iure naturali restitui debere depositum pecunia, & commodatum; quæ quidem duo pugnarent, quia, data omnium communi, & indiuisa rerum possessione, depositum pecunia, & commodatum non possent habere locum; quod ante nos considerauit Fortun. Garc. in l. ius naturale. num. 28. & seqq. ff. de iust. & iur. inter Repeten. tom. 1. fol. 31. &, quod corrupta natura, naturali ratione, & sic de iure naturali, factum sit, vt rerum dominia distinguerentur, scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 1. vers. esto igitur. col. 9. & vers. de iure. col. 11. fol. 6. & 7. & Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 24. sub num. 5. tom. 1. fol. 314. & dixi supra q. 1. num. 49. &, quod diuīsio rerum procedat à iure naturali, alio medio ex Scot. deducit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 2. vers. contra. col. 11. dicens, præceptum naturale, quo omnia debebant esse communia, obligasse ad tempus, videlicet, donec genus humanum cœpisset augeri, & multiplicari. Rursus, distinctis rerum dominij, & data in aliquo extrema necessitate, eadem naturæ lex illi communem rerum usum ad necessitatibus subueniendum denuo concedit, vt ex Medin. securus sum supra q. 1. num. 54.

24 Tertio, quia vim vi repellere, est de iure naturæ, cap. 7. ius naturale. dist. 1. & notatur in l. 4. vt vim. ff. de iust. & iur. similiter, parentibus obtemperare, patriæ, & magistratus parere, & fidem seruare, sunt, seu procedunt immediatè ex iure naturæ, Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 24. num. 1. & 2. tom. 1. fol. 313. & ab eodem naturæ fonte procedit, vt depositum reddamus, d. cap. ius naturale. dist. 1. ius iurandum adimpleamus, Exod. 20. num. 7. in die festo non agamus, & desistamus operari, Genes. 2. num. 3. & bene;

benedixit diei septimo, & sanctificauit illum,
quia in ipso cesserat ab omni opere suo. &
Exod. 20. num. 8. & seqq. memento, ut diem
sabbati sanctifices, &c. homicidium, & fur-
tum nunquam committamus, & his simi-
lia, Exod. 20. num. 14. & 16.

25 Et tamē, si quis iustè sit à iudice ad mor-
tem condemnatus, non licet ei per vim se-
defendere, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 69.
art. 4. conclus. 1. fol. 475. quia qui superioris
potestati, iustè iudicantis, resistit, Dei or-
dinationi resistit, vt ex Apost. retuli infra
sub num. 50. vers. sed quare, imò etiam si in-
iustè sit condemnatus ad mortem, quia sit
innocens, est quæstio inter Doct. an possit se-
ita defendere, vt inferat mortem, de qua q. i
idem Mich. Sal. d. art. 4. post 3. conclus. con-
trou. 1. fol. 476. nam illud certum est, quod
qui iure publico vtitur, non videtur iniuria
facienda causa hoc facere. iuris enim exen-
tio non habet iniuriam, b. 13. iniuriarum.

26 S. 1. ff. de iuriur. &c. † Item parentibus, & ma-
gistratibus imperantibus, vt quis diuinam
aut humanam lædat maiestatem, parendum
non est, cap. 98. imperatores. & cap. 101. si

27 is qui præest. 11. q. 3. † Fides ei, qui postea de
Rep. male meritus est, non est seruanda, Bo-
logn. d. tractat. de leg. iur. & æquit. cap. 26.

28 num. 5. fol. 315. † Depositum prædoni, ap-
parente vero domino, restituere, æquum non
est, Coras. de iur. ciuil. &c. par. 4. cap. 17. tom.
1. fol. 79. & notorio prædoni denegatur re-
stitutio, lo. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4.
tit. de restit. cap. 3. vers. ad argumentum. col.

247. & latius Medin. in suis tract. tom. 2. q.
2. col. 7. vers. de eo quod. fol. 14. & 15. Gla-
dius ei, qui eum sana mente deposuit, fu-
renti restitui non debet, testibus his, quos
secutus sum par. seq. limit. 18. sub num. 4.

29 † Ei, qui pecuniam apud te depositum est,
bel-
lum patriæ inferat, restituere peccatum est,
& non reddere iustum: Si aliquid turpe, fla-
gitiosum vè iure iurando decretum sit, vio-
lari potest fides, imò præcipitur: Iudicem-
seu ministrum, occidendo reos, non peccare,
latè disputando firmat Card. de Turrecrem.
cap. 1. num. 1. & 2. 23. q. 5. imò, non solum
non peccare, sed mereri, si zelo iustitiae, om-
ni rancore, & malo affectu deposito, & ser-
uatis iuris regulis, peccatores occidat, scri-
bit num. 3. vers. secunda conclusio. † Hostes,

30 & patriæ proditores trucidare, gloriosum es-
se, scribit Coras. d. cap. 17. fol. 79. Latrones,
vianū grallatores, assassinos, sicarios, aliosq;

id genus sceleratos homines suspendi, ac de
medio truncari, iura vbiique mandant: Ad
necessariam vitæ defensionem, inualore
occidere non prohibemur, per ea, quæ secu-
tus sum in meo tract. de appell. q. 16. num. 3.
Aliena bona capere, seu furtum commit-
tere, propter extremam necessitatem, per-
mittitur, quia tunc omnia sunt communia; &
sic non aliena, sed sua capit, per ea, quæ
adducit Medin. de reb. reskit. q. 3. quem retu-
li sup. q. 1. nu. 54. Et in necessitatis casu ope-
rari in die festo non denegatur, Luc. 14. n. 5.
cuius vestrum asinus, aut bos in puerum cadet,
& non continuo extrahet illum die sabbati &
& latè hoc ultimum prosecutus sum in meo
tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 5. num. 17.
& seqq. & his similia.

32 Quarto, quia in naturalibus quoque nul-
la est ferè notior apud omnes propositio,
quam, quod, cessante causa, cessat effectus;
& quod non cessante, non cessat; & ideo,
cessante sole super terram, cessat lux, & quod
in igne manet eadem causa videnti, siue
ignis sit Romæ, siue sit Constantinopoli, ideo
æque utroque vrit.

33 Ad quartam respondeo, quod et si veræ
sint differentiæ adductæ, tamen ex illis non
sequitur, quod lex humana non deriuetur,
& non profluat à iure naturæ, & non sit il-
lius pars; & hoc est, quod nos asseruimus:
imò illasmet differentias, quas considerauim-
us, asserimus esse à iure naturali, & diui-
no ex notissimis, iustissimisq; causis consti-
tutas: nam pro rebus ciuilibus iudex ideo ex-
se, & sine partis instantia moueri non potest,
quia sibi non constat, an pars, ex quo non
instat, velit ius suum dimittere, & dimitten-
do, donare; vnde dicimus, quod iudex, non
petenti, non impartitur officium, seu, quod
sine partis instantia eius officium conque-
scit, vt scripsi in meo tractat. de iudic. caus.

34 lib. 1. cap. 68. num. 2. † pro rebus quoque
criminalibus sine accusatore, aut famosa in-
sinuatione moueri non debet, ne possit, ad
vindicanda sua priuata odia, & iniurias, pro-
cedere, vt aduertit etiam Mich. Sal. ad D.
Thom. 2. 2. q. 67. art. 3. vers. ad primum. in-
fine, & vers. ex his. fol. 429. & 430. quare
Iesus, vt iudicibus exemplum daret, mulie-
rem, quamuis esset adultera, tamen, quia ne-
mo eā accusabat, dimisit, Ioan. 8. n. 10. & 11.
mulier, vbi sunt, qui te accusabāt; nemo te con-
demnauit? quæ dixit: nemo, Domine, dixit
autem Iesus, ne ego te condemnabo. quod
etiam

etiam retuli in meo tract. de iudic. caus. lib. i. cap. 68. sub num. 2. & cap. 80. sub num. 1. Nec secreta petitio, aut accusatio sufficeret, ita ut iudex occulte sciret voluntatem partis, sum quia iudici non est credendum, pereat, quæ dixi num. seq. tum quia propter hominum calumnias, & fraudes, quæ insurrexerunt ex peccato originali, ut scripsi sup. q. 1. num. 49. & 50. si deficeret iste ordo processus, tolleretur iusta defensio, ac multa, quæ longum esset recensere, sequentur mala. ¶ Requiritur etiam in fori exterioris iudice scientia publica, & priuata non sufficit, nec sub priuatæ scientiæ pretextu, & colore vindictas proprias sumat, & iniusticias faciat, ut considerat etiam Mich. Sal. d. q. 67. art. 2. post conclus. 4. tit. debeat ne iudex secundum, &c. fol. 423. & ideo in Dan. cap. 13. licet certò sciret falsitatem illorum duorum scenum, qui falsum tulerant testimoniū adulterij contra Susannam, tamen pro iudicis fori exterioris instructione interrogavit eos, & postquam de falso fuerunt conuicti, tunc eos, & non prius condemnauit. ¶ At Deus, & confessarius eius loco, qui iudicant in foro interiori, & ideo sciunt cordis secretæ, quæ confessario à reo revelantur, iudicant, & condemnant sine partis instantia, sine accusatore, & sine famosa insinuatione, & ex scientia sibi priuatim nota; tum quia est certas, tum quia cessant prædicta. nam Deus est summum bonum, & summa iustitia, & confessarius non potest ad propriam vindictam agere, seu condemnare: ¶ similiter, quia iudices fori exterioris sæpe latet veritas, multa imponita dimittunt, & multa non punienda puniunt, dum nocentem ob probationem inopiam absoluunt, & innocentem ex falsis testibus, vel fallacibus præsumptionibus reget, & iuste condemnant in foro exteriori, iniuste tamen, in spece foro interiori; sed Deus, qui veritati infallibiliter iinititur, iniquum semper punit, & bonum semper remunerat: quare sicut eadem lex, seu Princeps potest causam, seu executionem diuersis iudicibus diuersimode committere pro eorum imperio, & vni maiorem, quam alteri facultatem dare; nempè, ut unus procedat summarie, & manu regia, & alius ordinariè, & tamen utrique eadem lex, idemq; Princeps committit; ita etiam in casu isto eadem lex naturalis, & diuina potest diuersos dare modos. Ad id, quod per ius gentium, & positum

sint sublata aliqua iuris naturalis, patet responsio ex his, quæ dixi infra num. 48. & seqq.

38 Retenta igitur hæc contraria opinione, quod lex humana proficiat à iure naturæ, & à iure diuino, ut dixi supra num. 14. & seqq. Declara primo, ut ius naturale, seu diuinum duplicitate considerari possit: primo, prout est ex se explicitum sine ullo hominum ministerio; & hoc ius comprehendit prima, & indubitate principia, item præcepta, quæ sunt scripta in lege diuina: secundum, verò ius naturale dicitur illud, quod est implicatum, & ratione naturali explicatur; & hoc ius comprehendit totum ius gentium, & ius ciuile.

39 Declara secundo, ut consideratio, quam circa immutabilitatem huius secundi iuris naturalis fecimus supra num. 19. vers. ad secundam. reddatur elusoria in concreto, id est, in actu; siquidem licet Princeps debeat legem condere, seu mutare ex iusta ratione, & propter causæ mutationem; tamen ipse & non aliis habet potestatem cognoscendi de iusta ratione, & causæ mutatione, & quando cognoscit, ei contradici non potest, quia, ut dicit Ecclesiastes 8. num. 4. sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis: quod aduerti etiam in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 97. sub num. 88. vers. iuxta hæc. & l. 12. prospexit. ff. qui & à quib. manum. &c. quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est. quod latius retuli supra q. 1. sub nu. 507. Cæterum quamuis illa consideratio ad usum praxis reddatur elusoria, tamen conducit ad multarum difficultatum resolutionem, & in rationis discursu plurimum valet.

40 Infero primo, quod errasse videntur, aut saltem non recte locuti Innoc. in cap. 8. quia plerique sub num. 3. vers. quidam tamen ibi, & principum est aliquando contra naturalem equitatem statuere. & in fine, num. 6. Ant. de Buti. sub num. 9. il 2. cas. 4. Anch. num. 15. q. 7. & Abb. num. 7. & nu. 37. q. 13. de immun. eccl. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. col. penult. in 2. argum. fol. 329. & alij passim in diuersis locis, & forsitan aliquando nos, eorum loquendi morem inadvertenter secuti, dum supponunt legem positivam contra ius naturale; nam hoc etiam improbaui in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 53. sub num. 35. & sup. q. 1. nu. 104. vers. hæc

hæ duæ. & ratio est evidens, quia repugnat, & implicat contradictionem, vt lex positiva descendat, & profluat à iure naturæ, vt latè ostendi supra num. 14. & seqq. & sit contra ius naturæ, per ea, quæ dixi in seq. illatione. num. 45. potest autem iste loquendi usus eatenus tolerari, quatenus ius positivum interpretatur, vt dispositio iuris naturalis non habeat locum in aliquo casu; Verum, licet tunc videatur contra ius naturale, tamen consonat cum iure naturali, quia interpretatur ex iustissima, & rationabili causa ab eodē iure naturali approbata; puta, lex naturalis, seu Dei mandat, vt nō occidas, Exod. 20. n. 14. & Matth. 5. n. 21. & cap. 19. n. 18. ius positivum interpretatur hoc mā datum, vt non habeat locū in iudice contra malefactorem, qui sit legitimè conuictus, vel confessus corā iudice, quia tunc iustum est, vt huic ex iusu iudicis adimatur vita; nam omnis pars est facta propter totum, & proinde sicut ad hominis salutem secatur membrum putridum, ne contagione totum pereat corpus: *expedit enim tibi, vt pereat unum membrum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam*, Matth. 5. num. 30. & alijs verbis dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 10. num. 41. in fine. sic Reipublicæ corporis saluti expedit malefactores ciues, vti membra putrida truncari, ne tota Respublica infectetur, quia modicum fermentum totā massam corruptit. vt ex Apost. 1. ad Corinth. cap. 5. nu. 6. retuli in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 59. sub num. 1. & hæc interpretatio approbatur ab ipso iure naturali, seu diuino, Exod. 21. n. 12. qui percussit hominem, volens occidere, morte moriatur, Leuit. 24. n. 17. Deuter. 19. nu. 11. alijsq; in locis, & latè docuit Magister Sot. de iust. & iur. lib. 5. q. 1. art. 2. per totum, fol. 396. & seqq.

41 Confirmatur primo hæc illatio, quia genus humanum post primam Adæ, & Euę nostrorum primorum parentum copulam, cum marium, foeminarumq; coniunctione opus haberet, vt, gignendo, multiplicaretur, nec nulli essent homines, nisi qui ex illis duobus nasceretur, viri sorores suas coniuges ex precepto legis Dei, & naturæ acceperunt, quia Deus illis creatis dixerat: *crescite, & multiplicamini*, vt in Genes. 1. n. 22. & licet postea humana, religiosaq; lex, humano genere crescente, fraterna damnabiliter prohibuerit connubia, tamen Dei, & naturæ legi non aduersatur, cum hæc eadem prohibitio à Dei

lege dicatur emanare; sic humana, religiosaque lege illam rationabiliter interpretante, quasi lex naturæ fraterna connubia permiserit ad tempus, donec genus humanum non erat multiplicatum, vt ex D. Thom. sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 2. q. 2. vers. contra hoc. col. 11. & ratio huius interpretationis est, quia illa permissio procedebat à necessitate, qua cessante, lex humana, dum & sobolis procreationi, & humani generis concordia studere debet, matrimonia inter sanguine coniuctos, nempe, inter ascendentes, & descendentes in infinitum, & inter transuersales usque in quartum gradum, dānauit, & inter alios, sic sanguine non coniuctos, prudenter admisit, vt qui sanguine in concordia, & necessitudine nō coniungeretur, matrimonij nexibus colligantur, cap. 1. 35. q. 1. & quod ad augendas necessitudines, & propinquos adiungendos, & ad augendas concordias, matrimonia inter sanguine coniuctos sint prohibita, scribunt Tiraq. de legib. connub. in l. 7. num. 45. vers. quare autem. & Thom. Sanch. in disputat. de sanct. matrim. sacram. lib. 7. disput. 53. sub num. 3. vers. nihilominus. quare fecit lex humana, quod lex Dei, & naturæ fecisset, si necessitas tunc aliter non coegisset.

42 Confirmatur secundo, quia lex diuina, seu naturalis, quæ mandat veritatē duobus, aut tribus testibus probari, Deut. 17. n. 6. & cap. 19. n. 15. March. 18. n. 16. & Ioan. 8. nu. 17. & cap. 4. in omni negotio. de testib. cap. 10. cum esses. & cap. 11. relatum. de testam. & lex ciuilis, quæ testatoris voluntatem mandat probari septem testibus, I. hac consultissima. C. de testam. & Instit. de testam. ordin. & lex canonica, quæ mandat, vt parochiani ultima voluntas probetur coram duobus testibus, & presbytero suo, d. cap. cum esses. non discordant, nec contrariantur, quia lex humana non discedit à lege diuina, sed eam sequitur, explicando, & interpretando, habentes eandem rectitudinem, vt scripsi etiam in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 53. sub nu. 35. & deduxi supra num. 17. nam ubi homines naturali sinceritate viuerent, ille numerus testium sufficeret, at cum in Remp. humanæ fraudulentiae serperent, & in testamentis maior oriretur suspicio falsitatis, naturali ratione maior testium numerus in testamentis exactus est, quia ubi maius periculum, ibi cautius agendum, prout videtur considerasse etiam Sot. de

de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. col. penult. vers. si quis autem. fol. 329. nec obstat, quod aliter interpretetur lex ciuilis, & aliter lex canonica; quia respondeo, quod utraque recte interpretatur, nec dissentunt; lex namque ciuilis respexit maiorem falsitatis suspicione, quam lex canonica: & licet text. in d. cap. cum esses. dicat, tantum testium numerum esse alienum à lege diuina, tamen bene, & vere loquitur, supposita fidei sinceritate, & non magna falsitatis suspicione, quæ forsan in eo loco, pro quo Papa retribebat, non imminebat.

43 Confirmatur tertio, quia lex positiva, quæ præscriptionem inducit, non est contra ius naturale, vt aliqui arbitrati sunt, sed concordat cū iure naturali pluribus rationibus: Prima, quia quando leges, seu iura habent eandem rectitudinem, tūc vnum eorum non potest alteri contrariari: sed ius naturale, & ius positivum de præscriptionibus habent eandem rectitudinem: ergo. Secunda, ius, habens congruam, & rationabilem causam, concordat cum iure naturali: sed ius de præscriptionibus est huiusmodi, per ea, quæ dixi infra in seqq. rationibus: ergo. Tertia, quia ius positivum, colligens ex negligentia consensum, & sic puniens eam ob bonum publicum, concordat cum iure naturali, quod vult puniri peccata, & negligentias: sed ius positivum de præscriptionibus facit hoc: ergo. Quarta, quia hoc ius imponit finem litibus, quæ impediunt bonum publicum. ergo, &c. Io. Andr. in cap. possessor. num. 15. vers. declaratis. de reg. iur. in 6. quare in uniuersum lex positiva habet eandem rectitudinem cum lege naturali, vt dixi supra.

44 num. 17. confir. 3. † sed lex positiva explicat sèpè rectitudinem, quam non explicauit ipsa lex naturalis, vt puta, lex naturalis vult, puniri delinquentem; sed non explicat punitionis modos, quos ideo explicat lex positiva, vtendo rectitudine legis naturalis, videlicet secundum qualitatem delicti: item lex naturalis prohibet, aliena subtrahit; sed non distinguit modos subtractionis; eos explicat lex positiva, videlicet, actum furandi, rapiendi, & similes: prohibet etiam lex naturalis, alterum locupletari, cum alterius iatura; sed non explicat casum, qui potest evenire, vt quis etiam cum legis naturalis rectitudine possit locupletari cū alterius iatura; & iste est casus usucaptionis, & præscriptionis; quem explicat lex positiva, &

eius rectitudinem iam ostendi in præcedentibus rationibus; sic docuit Ioan. Andr. in d. cap. possessor. sub num. 12. hancq; eandem doctrinam per alia verba, & nemine citato, latius quatuor conclusionibus securus est Sot. de iust. & iur. lib. 1. q. 5. art. 2. vers. ad quæstionem. col. 2. & seqq. fol. 36. & quod licet ius positivum sit fundatum in iure naturali, tamen alia sit prohibitio iuris naturalis, & alia prohibitio iuris positivi; siquidem prohibitio iuris naturalis oritur immediatè ex sola vitij cognitione, quia ius naturale docet ubi sit vitium cognoscendum, & inclinat ad ipsum detestandum; prohibitio autem iuris positivi fit per pœna comminacionem, & sic per additionem ad prohibitio nem iuris naturalis, scribit Io. Andr. in cap. peccatum. num. 24. in fine, & 25. de reg. iur. in 6. cuius repetitionem posuit per appendicem post d. cap. possessor.

45 Infero secundo, (& virtualiter continetur in præcedenti) quod ius humanum non potest derogare iuri naturali, seu diuino; tum quia cum profluat à iure naturali, & diuino, si illud posset tollere, seu derogare, destrueret suum principium, & tanquam ædificium, destruendo suum fundamentum, se ipsum demoliretur; tū quia ius humanum, vti inferius, non potest tollere, quod disponit ius diuinum, & naturale, quod est superius argumento textus in l. 4. nam magistratus. ff. de recept. arbitr. non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum, sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius, Matth. 10. num. 24. tum quia Deus, qui Principi dedit potestatem condendi legem, non intelligitur ei mandasse, vt quicquam faceret contra se, Bal. quem securus sum infra sub num. 48. & ideo errasse, aut impropiè locuti videntur Doct. vt aduerti sup. q. 1. num. 314. non enim derogat, sed explicat, vt dixi hic supra, & conuenit Principis iusticie, & honestati, vt, quod facit, explicando, non dicamus, quod facit, derogando; sic enim Principis iustitiam videremur laedere, cum Princeps sit iuris naturalis custos, & interpres, non autem ablator, & abolitor: quare cum differentia remaneat non in re, sed in verbis, quia Doct. dum dicunt, quod derogat, non intendunt dicere, quod corrigit, sed quod explicat, debemus vti verbo proprio explicationis, & non derogationis, quod non solum est imprimum, sed est etiam odiosum, quia le-

gum correctio est odiosa, corrigi enim non debet lex, nisi sit iniusta; quare, si corrigitur iusta, non est corrigere, sed est explicare, seu facere aliam ex iusta causa, ut late expli- caui sup. nu. 19. in responsione ad secundam.

46 Infero tertio, corroborando eandem contrariam opinionem, hinc esse, quod doctrina, & opiniones Iureconsulti, qui plurimum iudicio abundet naturali, sunt firmiores, & iuri magis amicæ, quam doctrina, & opiniones alterius, qui tanto naturali lumine non sit dotatus, etiam si iste alter vberiori lectio- ne sit refertus: multi enim naturale iudicium valet in iurisprudentia, quia tota profluit à iure naturali, ut dixi.

Et hæc de primo articulo.

47 Quoad secundum, de quo supra num. 6. concludo affirmatiuè, quod lex humana, seu positiva, quæ sit iusta, obligat in conscientia, & sic in foro interiori, idest, animæ, Abb. in cap. 1. sub num. 9. Dec. sub num. 62. in 2. conclus. & sub num. 72. concl. 5. de const. Mantic. tract. de coniect. vlt. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 1. & 18. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. in fine initij, col. 2. fol. 325. & latè lib. 1. q. 6. art. 4. in fine initij, post 5. ar- gum. & vers. quæstio est. & seqq. fol. 46. & seqq. Nauar. in man. confess. cap. 23. nu. 40. vers. dicendum secundo. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præsenti, &c. vers. his posi- tis. fol. 166. & tit. an quando luditur pecu- nia absenti, &c. in fine, vers. obseruemus. fol. 169. & hoc esse omnium consensu rece- ptum, scribit art. 4. tit. an per contractū, &c. vers. probatur efficacissimis. in fine, fol. 145. & esse communem sententiam, quod leges, & canones obligant in foro conscientiæ, tes- statur, & sequitur Fort. Garc. tract. de vlt. fin. iur. canon. & ciuil. num. 260. illat. 16. tom. 1. fol. 120. &, quod lex ciuilis iusta sit admit- tenda etiam in foro animæ, pulchrè consu- luit Fed. de Sen. cons. 21. numquid hæres. num. 2. in fine, vers. in contrarium. & num. 3. quem sequitur Anch. in cap. possessor ma- lae fidei. num. 12. versus finem, de reg. iur. in 6. & scribit etiam Couar. in cap. cum essem. nu. 6. de testam. tom. 1. fol. 55. † & (loquen- do de lege Pontificia) sicut qui assereret, quod ecclesiasticæ, sanctæq; leges non obli- gant in foro conscientiæ, genere suo sub rea- tu mortalis maculæ, erraret in fide Catho- lica, Sot. d. art. 4. concl. 4. col. 4. fol. 47. ita (loquendo de lege Principis secularis) is,

qui assereret, quod ex lege ciuili non potest oriri obligatio in conscientia, erraret in temeritate, Sot. eod. art. 4. col. 7. initio, ibi, col- ligamus ergo. fol. 48. imò, quod sit de fide, ut admittamus, quod lex humana iusta obli- get in conscientia, scribit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. tit. an lex poenalis obligat, &c. concl. 1. vers. tertio lex humana. fol. 223. & proinde dum lex positiva obligat in conscientia, illi non obedire, est peccatum mortale; Resp. enim habet auctoritatem ad prohibenda opera nocua, cui non obedire, cum leges humanæ iustæ obligent in con- scientia, est peccatum mortale, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an liceat ludere. concl. 2. initio, fol. 164. &, quod faciens contra præceptum legis, pec- cet mortaliter, scribit Gemin. in cap. 35. commissa. S. fin. num. 2. de elect. in 6. &, quod facere contra legem sit peccatum, & faciens sit redarguendus, & puniendus à superiore, scribit Rebuff. ad constit. Franc. tractat. de- sentent. execut. art. 11. gl. vnica, num. 4. vers. item peccatum. tom. 1. fol. 406. &, quod lex ciuilis, & canonica seruanda sit in foro con- scientiæ, quando est iuste facta ab habente potestatem, & fundata super certo, sequi- tur Felyn. in cap. 1. num. 47. vers. extra præ- dictos. de constit. hæc; conclusio probatur ex cap. vlt. 14. q. 1. & ab hac cōclusione non discrepat in effectu responsio, qua Bononiæ, proposita, & disputata quæstione in scholis Fratrum Prædicatorum (an lex positiva ex- cuset, vel obligat in foro poenitentia) D. Pet. de Ultramon. Auditor D. Card. Raynaldi Apostolicæ Sedis Legati publicè coram Doct. & scholaribus vniuersis, hunc in mo- dum distinxit: Aut lex humana dicit contra legem diuinam; & tunc non excusat in foro poenitentia, & posuit exemplum in usuris, nam si aliqua lege permitterentur, dicit, il- lam legem non valere, tum quia conditor legis humanæ non potest tollere legem su- perioris, tum quia conditor legis humanæ, siue sit Papa, siue Imperator, est constitutus à Deo, & ab eo habet potestatem condendi legem, sed ille, qui mandat alicui, non in- telligitur mandare, ut quicquam fiat contra se: Aut lex humana est secundum legem diuinam, & tunc ligat, & excusat etiam in fo- ro conscientiæ, imò transgressor debet tunc magis puniri, quam si esset simplex lex diui- na, vel humana, quia duplex funiculus dif- ficilius rumpitur: Aut lex humana est con- dita

dita præter legem diuinam , & tunc subdivinxit : aut lex humana est fundata super præsumptione : & isto casu non excusat ; quare si teneo fundum alienum , quem scio esse alienum , & petitur à me in iudicio , & propter defectum probationum , vel aliam ob causam absoluor , in foro conscientiæ non excusor , quamvis ista absolutio faciat ius in foro fori , vt non teneat restituere : aut lex humana est fundata super veritate , vel certo : & tunc excusat in foro pœnitentiæ , quare qui auctoritate legis præscribit cum bona fide , & iusto titulo , est tutus etiam in foro conscientiæ , etiam si post completam præscriptionem sciatur rem esse alienam , prout totam hanc distinctionem retulit Bal. in l. cum quis. num. 14. vers. post hoc sciatis . C. de iur. & fact. ignor.

49 Ratio huius conclusionis est , quia obedientia debetur legi , in tantum , vt etiam si aliquando præciperet , intermitti aliquod bonum , esset adhuc ei obediendum , quia per obedientiam crescit obedientis virtus , & ex virtute meritum , & è conuerso per inobedientiam oritur peccatum ; nam edere de arbore verita in Paradiso ex se non erat peccatum , quia arbor in Paradiso non erat mala , sed fuit peccatum , quia prohibitum erat de illa edere , cap. 99. quid ergo . 11. q. 3. & Genes. 2. nu. 16. & 17. præcepitq; ei , dicens : ex omni ligno Paradisi comedere , de ligno autem scientiæ boni , & mali ne comedas , in quocumque enim die comederis ex eo , morte morieris . quædam enim peccata sunt , quia prohibita , vt in d. cap. quid ergo . & quædam prohibita , quia peccata , vt Exod. 22. Io. Andr. in cap. peccatum . in appendice , sub num. 4. post cap. possessor . de reg. iur. in 6. fol. 62. & Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 2. initio , fol. 302. quæ ex sui natura sunt peccata , vitiosa , & habent malitiam conuolutam , sunt usurpa , vt dixi supra q. 1. num. 404. & ista , quia ex sui natura sunt talia , ideo à lege naturæ sunt prohibita , huiusmodi etiam sunt homicidiū , adulterium , mendacium , & similia , quæ Arist. 3. ethic. solo lumine naturali interius ductus , asseruit , esse peccata , morte digna , & de se talia , vt pro eis vitandis mors esset sustinenda , vt ex eo refert Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 19. vers. verum salua. col. 7. fol. 150. quare in his , quæ ideo mala sunt , quia sunt prohibita ; rectè dicimus ; si lex non fuisset , homo non peccasset , ad Rom. cap. 3. nu.

20. per legem enim cognitio peccati . cap. 4. nu. 15. ubi enim non est lex , nec prævaricatio . & cap. 5. num. 13. peccatum autem non imputabatur , cum lex non esset . Sed tamen per obedientiam fieri nunquam debet malum , d. cap. quid ergo .
 50 Sed quare etiam lex Principis secularis obliget in conscientia , colligo triplicem rationem : Prima ratio est , quia potestas Principis , legem condentis , procedit à Deo , vt ostendi in meo tract. de iudic. cauf. lib. 1. cap. 11. num. 3. Vnde Imperatoris , seu Principis leges non sine ratione diuinæ dicuntur , l. 1. §. sed & si quid . & à nostro diuino fuerint ore profusa . C. de vet. iur. enucl. cap. 1. dist. 8. quia ipsa iura humana per Imperatores , & Reges sæculi Deus distribuit generi humano . & cap. vlt. 16. q. 3. sed & veneranda Romanæ leges diuinitus per ora Principum promulgata . quod idem , alijs iuribus , & Doctoribus citatis , scripsi in meo tract. de iudic. cauf. lib. 2. cap. 11. num. 379. in fine , vers. primo quia . & facit , quod ex Apost. retuli infra hoc eod. num. Ergo sicut lex Dei obligat in conscientia , ita etiam leges Principis , quæ à Dei legge profluunt . Secunda , quia lex naturalis obligat in conscientia , & hoc est clarum ; sed ratio naturalis exigit , vt ad regimen orbis , & rectum ordinem inferiora per superiora regantur , & regi sine potestate non possunt ; & sicut omnia cœlestia à primo motore reguntur , & ordinem sumunt , ita ad regimen humani generis Principibus , qui à Deo sumiserunt imperium , obediens decet , Fortun. Garc. tract. de vlt. fin. iur. canon. & ciuil. sub num. 260. illat. 16. tom. 1. fol. 120. & consequenter qui non obedit , peccat , itaque qui resistit potestate , Dei ordinationi resistit , Apostol. ad Rom. 13. n. 2. tum quia facere contra iustum Principis legem est malum morale , & consequenter apud Deum est peccatum , quoniam lex iusta est regula rationis , cuius linea transgredi est obliquitas , quæ est peccatum ; tum quia quicquid mali in moribus est , peccatum existit , vt ex D. Thom. sequitur Sot. d. art. 4. col. 6. in fine , ibi , consequens nihilominus . fol. 48. Tertia , quia lex positiva est pars iuris naturæ , seu profluit ab eo , vt ostendi supra num. 14. & seqq. ergo sicut ius naturæ obligat in conscientia , ita etiam obligat ius positivum .

Infero , exrendendo hanc conclusionem , quod etsi lex humana sit lata à Principe laico , tamen , si sit ordinata ad bonum commu-

ne, & sit iusta, ligat etiam clericos; vnde clerici non possunt, vendendo frumentum, excedere pretium, taxatum à Principe, quamvis laico, Rodriq. in sum. par. 1. cap. 196. conclus. 1.

Sed quia hęc illatio pendet ab illo articulo; an leges, & statuta laicorum ligent clericos, & personas ecclesiasticas, videnda sunt, quę scribunt Doct. in locis, à me citatis in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. sub num. 204. & ego nihil firmo.

51 Aduertenda sunt quinque circa hāc conclusionem: Primum, quòd illa conditio, vt lex sit iusta, veluti superflua, exprimit id, quod essentialiter inest legi, quia, si non esset iusta, non esset lex, cap. 2. erit lex. dist. 4. & dixi supra num. 16. confirmatione 3. & num. 19. vers. ad secundam. vnde sequitur, quòd gabella, quę non est licetē imposta, vt puta, quia sit imposta à non habente potestatem, vel sit imposta nimis barbarica, vel cefset causa, propter quam fuit imposta, potest licetē fraudari, secundum ea, quę refert & sequitur Felyn. in cap. 1. fallen. 6. nu. 41. vers. ex quibus. de constir. sed an, & quando, hāc sequela de gabella possit procedere, es- set longiori oratione tractandum, idcirco, hic nihil de hoc firmo: & quę sint leges in- iusta, repugnantes legi diuinę, vide Summ. Pisan. ad quam se remittit Felyn. d. cap. 1. num. 49. Secundum, quòd lex ecclesiastica potest expressè sub reatu peccati mortalis obligare; at lex secularis nunquam sub hoc reatu expressè obligat, sed ex natura legis, hāc obligatio potest consequi, Sot. de iust. & iur. d. art. 4. col. 5. fol. 47. in ultimis verbis, & col. 9. in respons. ad postremum argumen- tum, fol. 49. quia facultas obligandi expres- sè sub pœna peccati pertinet priuatue ad iurisdictionem ecclesiasticam. Tertium,

quòd transgressio legis, an inducat pecca- tum mortale, vel veniale, ex grauitate, vel leuitate rei est examinandum, Sot. vbi sup. & Mich. Sal. d. q. 62. art. 3. tit. an lex pœna- lis obliget, &c. concl. 1. vers. tertio lex hu- mana. fol. 223. hæcq. leuitas, vel grauitas ex qualitate pœnae, à lege impositae, cognosci potest, vt puta, si mortis pœna sit imposta, mortale est peccatum, prout hanc pœnam comedenti de ligno scientię boni, & mali imposuit Deus: *de ligno autem scientię boni, & mali ne comedas, in quounque enim die comederis ex eo, morte morieris*, Gen. 2. n. 17.

52 Quartum, quòd et si omissione seu transgref-

sio legis inducat reatum culpæ, idest, pec- catum, vt dixi, quia omnis lex, quę abso- lutè fertur, idest, quę contrarium non expli- cat, obligat ad culpam, vel veniale, vel mortalem, secundum qualitatem operis, quia lex secum affert obedientię preceptum, quę obedientia per se est virtus, & inobe- dientia peccatum, tamen potest lex expri- mere, quòd illa lex non obliget ad culpam; quo sit, vt quicunque legem ferre voluerint, siue seculares, siue ecclesiastici Principes fuerint, quę non obliget ad culpam, illud debent exprimere; prout in Religionibus, & præsertim Dominicana, exprimunt aliquę constitutiones, in quarum capite adest, quòd non obligent ad culpam, testibus lo. Andr. in cap. 7. relatum. sub num. 2. ibi, commen- datur per hoc regula prædicatorum. ne cler. vel mon. &c. Sot. d. art. 4. in postremo argum. col. 6. fol. 48. initio, & col. 10. fol. 50. Na- uar. in man. confessar. cap. 23. num. 49. vers. secundo quod. & in Augustiniana, teste Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. tit. an lex pœnalis obliget, &c. concl. 1. initio, fol. 223. Ex his sequitur, quòd lex, quantumuis pœnalis sit, obligat etiam ad culpam, Ge- min. in cap. 35. commissa. §. fin. num. 2. de elect. in 6. quia illa pœna ponitur in lege, vt lex obseruatius custodiatur, nō vt transgres- sor sit vacuus à culpa, Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 37. in respons. ad 6. rationem, vers. ad sextam. fol. 259. in fine, Sot. d. art. 4. col. 10. & peculiariter art. 5. vers. quæstio hæc. col. 2. fol. 52. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. d. concl. 1. per totam, fol. 223. & latè Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 5. sub num. 2. vers. hæc vero. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 627. nisi contrarium sit in ea ex- pressum, vt dicunt Sot. & Mich. Sal. in locis supra proximè citatis. Verum in hac qua- ta aduertentia non parum dubitari potest, an hoc sit verum, quòd lex non obliget ad culpam, quando initio legis hæc obligatio eximitur ab ipsa lege, & dubitatio oritur, quia hæc obligatio procedit à natura legis, vt ipsemet Sot. citatus supra in 2. aduerten- tia adducit pro fundamento, dum scribit, quòd lex secularis obligat ad culpam: quare hæc contraria conditio, quòd non obliget, aut est contra substantiam legis, & tunc vi- tiat, & non vitiatur, & sic resoluit legem in non legem, quia illam inficit; aut non est contra substantiam, sed est contra naturam, & tunc vitiatur, & non vitiatur, & sic haberetur pro

pro non adiecta, ut, loquendo in contractibus, scribunt generaliter Doctores, quos cito ampliatione sequenti, nu. 15. & 16. Neque hoc dubium tollitur eo, quia lex consultoria, quamvis diuina sit, non obliget etiam ad veniale, cap. vlt. 14. quæst. 1. quia respondeo, quod aliud est consilium, vbi offerentis est arbitrium, aliud præceptum, vbi necessitas est seruientis, d. cap. vlt. quare, cum lex, maximè poenalis, habeat semper in se præceptum; ruit hæc consideratio, quam fecit Nauar. in loco supra proximè citato. Rursus id limitandum esset, ut non procederet in his, quæ per se mortalia sunt, quia in his semper manet obligatio sub reatu peccati mortalis; quare procederet in his, quæ per se mortalia non sunt, Io. Andr. in loco proximè citato. Quintum, quod licet lex poenalis obliget, vt dixi, in conscientia, & ideo non obediens peccet, tamen non obligat in conscientia ad soluendam poenam, quam imponit, nisi præcesserit sententia iudicis, ut secutus sum infra num. 139. vers. declara.

Quoad tertium articulum, de quo supra num. 6. concludo negatiuè, quod lex ex eo solo, quod actus sit gestus contra eius prohibitionem, non obligat in consequentiam ad restitutionem; quare possunt hæc duo simul stare; quod quis sit prohibitus gerere aliquem actum, & non teneatur restituere, quod habuit, gerendo illum actum, vt patet ex his, quæ scripsi infra num. 98. & seqq. usque ad num. 111. inclusive, in quibus iste articulus magis congruè, quam hic latè examinatur, & resolutur.

Quoad quartum articulum, in cuius explicatione, tractando subtilem materiam restitutionis, faciendæ in foro poenitentiali, multum laborarunt Innoc. & alij Canonistæ in cap. 8. quia plerique de immunit eccles. & Couar. in cap. 4. peccatum de reg. iur. in 6. & post D. Thomam ex Theolog. Medin. in suis tract. tom. 2. per plures qq. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 6. & 7. Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 6. & seqq. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 1. & seqq. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. & 5. de restit. & alij vetustiores; sed eorum pace (præsertim Canonistarum) dixerim, nullam certam derunt doctrinam, & ideo confusè docuerunt: nam Ant. de Butr. qui in eod. cap. materiam hanc reduxit ad sex casus, processit quidem subtiliter, sed eam intricauit, vt scri-

bit Abb. ibidem, num. 7. verl. extra materiam. & ipse Abb. quamvis materiam d. nu. 7. & seqq. conetur explicare per tresdecim qq. quarum decisio eius iudicio pendet à duabus regulis, quas præmittit; tamen est in eadem intricatione; & non minus confusè scripserunt Sot. & Mich. Sal. † nos, ut ordinate, & clare materiam istam, à ceteris hucusque confusè tractatam, expliceremus; referemus prius regulas, & generales doctrinas, quibus ipsi vni sunt.

Prima doctrina continetur his duabus regulis: Prima regula est, quod vbiunque lex positiva, habens concursum legis, seu æquitatis naturalis, disponit super restitutione, vel retentione, seruanda est illa lex positiva, etiam in foro conscientiæ; quia lex positiva, non nutritua peccati, seruari debet, etiam in foro conscientiæ, ex quod nulla alia lex distinguuit illo casu inter forum poenitentiale, & forum contentiosum, nec subest causa distinguendi; & sic seruandæ sunt leges positivæ, quando non occurrit æquitas naturalis in contrarium. Secunda regula: vbiunque inter legem positivam, & legem naturalem datur discrepantia; seruanda est lex, seu æquitas naturalis in foro conscientiæ, nisi lex positiva ex aliqua iusta, & vera causa disponat contra illam legem naturalem, quia tunc est seruanda lex positiva, Abb. in d. cap. 8. quia plerique. num. 7.

Contra hanc doctrinam obstant duo: Primū, quia secunda regula admittit & quidem pro fundamento discrepantiam inter ius naturale, & ius positivum, & tamē inter ea non extare discrepantiam, firmauimus sup. nu. 14. & seqq. Secundum, quia dato, vt in prima regula, quod lex positiva conueniat cum naturali, tamen ex hoc non sequitur conclusio, quod restitutio fieri debeat per ea, quæ dixi in præcedenti articulo.

Secunda doctrina habet hanc distinctionem: Aut nullitas contractus procedit ex inhabilitate personæ contrahentis, vt puta, quia contrahens est pupillus; & tunc fieri debet restitutio etiam in foro animæ, quia per eiusmodi contractum non fuit translatum dominium: Aut non procedit ex inhabilitate personæ, sed ex defectu alicuius solemnitatis, requisitæ à iure positivo ad obviandum fraudibus; & tunc potest quisque contrahentium bona conscientia vti beneficio iuris positivi; & sic qui retinet, in foro conscientiæ non tenetur restituere, & qui repetit, &

repetendo recuperat, tuta conscientia recuperat, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. col. 3. ibi, ad cuius explicationem. fol. 326. quare possidens aliquam hæreditatem, vel legatum ex testamento imperfecto, non tenetur hæredi ab intestato restituere, donec iudex non præcipiat, & hæres ab intestato potest illa repeteret, & vterque est tutus in conscientia, vt deducit etiam, referendo Soti opinionem, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio. art. 4. tit. an per contractum, &c. vers. ex hac sententia. iuncto vers. præced. tertia opinio. fol. 147.

Contra primum membrum huius distinctionis tenuit Ant. de Butr. in cap. 8. quia plerique. num. 12. de immun. eccles. quem retuli, & confirmavi infra num. 71. & 72.

Contra secundum membrum, dum in eo dicitur, vtrunque contrahentem esse tutum in conscientia, opponit Mich. Sal. d. art. 4. tit. an per contractum, &c. versus finem, vers. tertio falsum est. fol. 148. dicens, quod sic darentur duo domini eiusdem rei simul, & eodem tempore, quod est impossibile, & totam Soti opinionem multipliciter carpit eod. tit. an per contractum, &c. vers. falsum tamen. & seqq. fol. 148.

Tertia doctrina habet duas regulas: Prima quarum est, vt quis teneatur ablatum restituere ratione iniustæ acceptationis, siue ea sit iniusta in iniuriam proximi, siue quia lege prohibita; quam primam regulam ponit, latèq; examinat Couar. in cap. peccatū. par. 2. ante primum §. & §. 1. & seqq. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 609. Secunda regula est, quod quis tenetur ad restitutionem ratione rei, quæ aliena est; quam regulam ponit, & examinat idem Couar. in d. cap. peccatum. par. 3. ante primum. §. & §. 1. & seq. fol. 662. & seqq.

Sed vtraque regula est fundata in principijs adeo generalibus, vt nos parum doceāt.

Quarta doctrina habet hanc vnicam conclusionem, quod, data vtriusque opinonis probabilitate, quisque eam sequi debet, in qua conscientia sibi non repugnat, quia quicquid est contra conscientiam, est peccatum, ad Rom. 14. nu. 23. in fine, omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. & cap. 20. quoniam omne. de præscript. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. vers. si quis autem. col. 9. fol. 329. & ab hac resolutione non discedit Mich. Sal. d. tit. an per contractū, &c. in fine, vers. obseruemus. fol. 148. & concl. 4.

fol. 149. & conclus. vlt. vers. ad ultimum. fol. 151. & quidem agere contra conscientiam in re graui peccatum est mortale, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. tit. debeat ne iudex, &c. vers. primo agere. fol. 423.

Corroboratur hæc doctrina, quia conscientia etiam erronea ligat, vt securus sum infra §. 6. gl. 1. sub num. 53. & satis patet ex prædictis, & in fradicendis; quare iurans licitum, quod credit illicium, & iurans verum, quod credit falsum, est periurus quoad Deum, & similiter credens venire contra iuramentum, & non venit, vt si credebat, iuramento non esse satisfactum, cui tamen erat satisfactum, quia Deus respicit animum hominis, Abb. in cap. 18. quanto. num. 3. not. vlt. de iure iur. & proinde faciens cōtra conscientiam, ædificat ad gehennam, id est, ad ignem infernalem, Gl. vnica, dist. 13. & Cæpol. de simul. contract. num. 193. tom. 7. fol. 11. quinimò, qui facit aliquid, dubitans, an illud sit peccatum mortale, nec ne, faciendo, peccat mortaliter, iuxta illud Ecclesiast. 3. num. 27. qui amat periculum, in illo peribit. vt admonet Nauar. in cap. consideret. in princ. sub num. 38. de pœnit. dist. 5. vbi declarat, aliud esse, dubitare, aliud, credere aliqua rationabili ratione, & auctoritate illius. Doctoris admonente.

Contra hanc doctrinam (etsi communis sit) obstat, quia sicut paucissima iudicis arbitrio relinquenda sunt, vt dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. sub num. 297. & quare, nu. 380. sic etiā in propria causa nihil propriæ committi deberet cōscientiæ, quando veritas, quæ est vna, sciri potest; ideoq; non benè meo iudicio sentiūt Doct. dum in aliquo articulo, præsertim in foro conscientiæ, aiunt, vtramque opinionem esse probabilem, nisi hanc duplēm probabilitatem expressè sancta Mater Ecclesia, quæ non mouetur, nisi ex iustissimis causis, admitteret.

Confirmatur primo hæc contraria opinio, quia is, quem conscientia remordet, debet eam purgare, lo. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 19. vers. sed hostien. devsur. quare si conscientia dictat, fieri aliquid, quod non est contra legem Dei, debet illud fieri, vel debet deponi conscientia: si vero dictaret aliquid, quod esset contra Deum, vel eius legem, licet non liget ad faciēdum; ex quo, si faceret, peccaret mortaliter, quia faceret contra legem Dei; tamen ligat ad deponendum talem conscientiam, in qua quis

quis errat, & si non deponit, peccat etiam, non faciendo, quia, non faciendo, facit in contemptum, dum credit, dictante conscientia, hoc non fieri, displicere Deo; & ideo talis conscientia omnino deponenda est; alias peccatur mortaliter, ut explicat Paris. in d. cap. quoniam omne. num. 2. de præscript. inter Repet. tom. 4. fol. 161. quare Iudæi, quibus conscientia dictabat, quod CHRISTVS esset crucifigendus, quia habebant legem, quod quicunque se faceret filium Dei, morte moreretur; crucifigendo, peccarunt mortaliter, quia fecerunt contra legem Diuinam, committendo crimen læsæ diuinæ maiestatis in primo, & supremo capite, & non crucifigendo, debuissent deponere illam conscientiam, cum conscientia etiam erronea liget, ut dixi hic supra.

Confirmatur secundo, quia ubi conscientia sit ita perplexa; ut ab utraque parte remordeat, ideoque, uti constituta inter duo mala, nesciat se purgare; duo tunc debet obseruare: primum, an verè sit inter duo mala, quorum alterum necessariò sequi debeat, & alterum electiuè euitari possit; & tunc maius euitari debet, cap. 1. dist. 13. & scripsi supra ampl. 10. sub num. 46. secundum, ut, si conscientia possit, eligendo, errare, peritiores consulat; alias conscientiæ perplexitate non excusaretur; vnde etsi Iudæi haberent præfatam legem, quod quicunque se faceret filium Dei, morte moreretur; ideoque, si CHRISTVM non crucifixissent, potuissent credere, quod mortaliter peccassent; tamen occidendo, mortaliter peccarunt, nec à conscientiæ dictamine excusantur, quia debebant consulere peritiores, nempè, Apostolos, & sacram scripturam, ut dicit Glos. unica, dist. 13. Et postquam perplexus peritiores, vel sanctorum virorum, aut peritorum libros consuluerit, & ab ijs certus factus eset, quod illud non esset peccatum, neque contra legem; & tamen ipse non deponeret conscientiam; si illud faceret contra conscientiam, adhuc peccaret, quod si, relutante adhuc conscientia, non faceret, is, veluti obstupescens efficeretur inutilis, non enim faceret mala, quia mala, nec faceret bona, quia ageret contra conscientiam, & sic uti stupidus nihil ageret in mundo, & hoc est illud, quod sacra scriptura, quam citavi supra q. 1. sub num. 18. ait: *noli esse iustus multum, neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas.*

Patet ergo ex his omnibus, quod nec potest eligere opinionem, quam vult, nec absolute tenetur sequi eam, in qua sibi conscientia non repugnat, sed adhibendæ sunt circumstantiæ, superius adductæ.

De clara incidenter, sed utiliter has duas confirmationes, quod etsi faciens actum iustum, & licitum, &, faciendo, credit, esse illicitum, peccet contra conscientiam, ut dixi; tamen si ex illo actu aliquid acquirat, non tenetur illud restituere; quare si quis, spondendo, arbitraretur, rem ita se certissimò habere, prout ipse dicit in sponsione, & ita in effectu res se habuerit, & proinde lucratus fuerit; & postea comperiat, falsum omnino fuisse fundamentum, ex quo ita arbitrabatur, ideoq; se exposuisse periculo amittendi, non tenetur restituere, quod ex illa sponsione lucratus est; sicut & is, qui lucratur ex contractu, qui est licitus, & ipse credit esse usurarium, peccat quidem, sed non tenetur restituere, Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 508. in fine, vers. illud est.

60 His relatis, constituo duas conclusiones, ex quibus per illationes casus omnes facile decidemus.

Prima conclusio est, quod retinens scienter, ideoq; mala fide rem alienam, tenetur indistinctè in foro interiori eam restituere, & etiam in foro exteriori, si in eo ex actis legitimè constet, rem esse alienam, ut latè, & clarè patet ex sequenti declaratione, & eius illationibus.

61 Ratio huius conclusionis est duplex: Prima, quia ius naturæ obligat etiam in foro interiori, id est, in conscientia, ut dixi etiam supra num. 47. & seqq. & sub nu. 50. sed ius naturæ disponit, ut quod tibi non vis, alteri ne facias, Matth. 7. num. 12. omnia ergo quemque vultis, ut faciant vobis homines, & vos faciatis illis: *hæc est enim lex.* & habetur dist. 1. initio, & nemo vellet, rem suam ab alio occupari, &, se inuito, retineri, sed sibi restitui: ergo de iure naturæ retinens scienter rem alienam, tenetur eam restituere. Secunda ratio est, quia quicumque habet ultra id, quod suum est, debet illi reddere, cuius est; hoc enim ratio commutatiæ iustitiae exigit quippe, cuius officium est & qualitatem constituere inter eum, qui minus habet, & eum, qui plus, Sot. de iust. & iur. lib. 4. quæst. 7. art. 2. vers. quæstio hæc. col. 1. fol. 377.

62 De clara primo hanc conclusionem, ut conscientia

scienter rem alienam accipere , seu detinere dicatur is, qui eam accipit, seu retinet sine consensu veri domini, siue, in iusto domino.

63 Infero primo, (& simul probo hanc declarationem) quod si quis ex furto, rapina, oppressione, dolo, fraude, vel calumnia rem acceperit, tenetur in foro animæ ad restitucionem, & pœnitere de peccato non sufficit. Innoc. in cap. 8. quia plerique. num. 1. Ioan. Andr. & Ant. de Butr. vterque nu. 3. & Abb. num. 8. de immunit. eccles. nec aliter saluari potest, nisi restituat, cap. 4. peccatum. & ibi Doct. de reg. iur. in 6. & Ant. de Butr. vbi sup. hancq; illationem, quam tenent omnes sine controuersia, latè probant Medin. Sot. & alij, quos citauit infra sub num. 82. vbi habes extensiones.

Ratio huius illationis, & sequentium est, quia fur, & oppressor retinent rem alienam, in iusto domino, Couar. in d. cap. peccatum. par. 2. §. 1. num. 1. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 611.

Declara hanc illationem, dum dicunt, pœnitentiam de peccato nō sufficere, & non posse saluari, nisi restituat, vt procedat quando habet facultatem restituendi, alias, si non possit restituere, sufficit pœnitentia de peccato, cap. 1. 14. q. 6. & Gl. 1. vers. vel enim. & vers. vtrum sit verum. in cap. 4. peccatum. de reg. iur. in 6. & communiter omnes; ratio autem quare pœnitentia de peccato non sufficiat, quando habet facultatem restituendi, & non restituit, est, quia est facta pœnitentia, & non vera, d. cap. 1. 14. q. 6. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 2. col. 3. vers. quibus non obstantibus, fol. 12.

64 Subinfero primo, quod mutuator, accipiens à mutuatorio ultra sortem, & sic cum vsura, tenetur illud ultra omnino restituere, non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori.

Ratio huius subillationis est, quia vsura est rapina, cap. 10. 14. q. 4. si quis usuram acceperit, rapinam facit, vita non vivit; imò vsura videtur grauius delictum, quam fursum, cap. 11. quid dicam. ead. 14. q. 4. an crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diuti, quam qui trucidat pauperem fœnore? quasi vsura sit homicidium: nam foenerari, id est, dare sub usuris, est hominem occidere, Cic. lib. 2. offic. quem referunt, & sequuntur Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. vers. quapropter. versus finem, col. 10. initio, fol. 528. & Couar. var. resol. lib. 3. cap. 1. sub nu.

5. vers. superest. versus finem: sed homicidium est grauius delictum, quam furtum: ergo etiam vsura, cum sit æqualis homicidio; & quod vsura comprehendatur sub furto, sentiunt Sot. & Nauar. quos secutus sum sup. §. 1. q. 1. nu. 402. versus finem; sed quomodo vsura sit rapina, & furtum, & quomodo differant, explico: Sciendum igitur est, quod præfata tria se habent per ordinem: furtum se habet in plus, quam rapina: rapina in plus, quam vsura: nam de ratione furti sunt duo: primum, quod usurpetur res aliena: secundum, quod hæc usurpatio sit occulta; attento primo, furtum extenditur ad rapinam: attento vero secundo, distinguitur ab ea: de ratione autem rapinæ sunt tria: primum, quod usurpetur res aliena, & hoc attento, participat de furto: secundum, quod dicta usurpatio sit manifesta; & hoc attento, distinguitur à furto, & extenditur ad usuram, & sic vsura est rapina: tertium, quod ista usurpatio sit penitus violenta, & hoc attento, distinguitur ab usuram: de ratione autem usuræ sunt alia tria: primum, quod per ipsam usurpetur res aliena, & hoc attento, participat de furto, & de rapina; & ideo usuram dicitur rapina, & dicitur furtum: secundum, quod usurpatio sit manifesta, & hoc attento, participat de rapina, & distinguitur à furto: tertium, quod hæc usurpatio fiat per consensum coactum, & extortum ratione mutui, quo soluens timet carere, & per consequens hæc manifesta usurpatio non est penitus voluntaria, nec penitus violenta, & hoc tertio attento, usuram distinguitur & à furto, & à rapina, vt post Fratrem Gerardum de Senis docet Io. Andr. in cap. professor. num. 34. de reg. iur. in 6. & quod usuram dicitur rapina, largè sumpta, prout quælibet illicita usurpatio rei alienæ dicitur rapina, & sic accipiatur pars pro toto, scribit Card. de Turrecrem. in d. cap. si quis usuram. num. 2. vers. respondeo. & quod voluntas mutuatorij, usuram soluentis, habeat in voluntarium admixtum, quia non daret, nisi quodammodo coactus, eo scilicet, quod non potest aliter mutuum recipere, scribit Medin. in suis tract. to. 2. tit. de reb. per viur. acquis. q. 4. in difficultate tertij argumenti, vers. alij vero. fol. 348. & quas identitates, & differentias habeant furtum, & rapina, poteris etiam, si placet, colligere ex his, quæ scribit Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 1. num. 1. & seqq. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 612. & 613.

65 & 613. † quare si tu mutuas mihi decem, & ego promitto tibi restituere illa decem ex causa mutui, & vñterius promitto vnum ex causa donationis, & sic promitto restituere vñdecim, talis promissio, & donatio, vti facta in fraudem usurarum, non tenet in contractu mutui, Bal. in l. rogasti. S. si tibi . circa principium, ff. si cert. pet. & Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. num. 19. in fine, & nu. 20. de usur. & fructus, quos Ciuitas, seu Rex soluit subditis, qui eis mutuant pecunias, & dicunt, se eos soluere ex mera liberalitate, illicite percipiuntur, quia Rex non esset alias donatus, & sic ista largitas, cui incipiat à mutuo præcedenti, debet reputari captiosa, Bal. in Iusurandum. col. mihi 33. ibi, præterea cum rex. & ibi, non obstat argumentum. ff. de iure iur. † Imò mutuatarij voluntas adeo censetur fuisse coacta, vt , si usuras solutas mutuatori remittat, remissio non teneat, nisi mutuator prius actualiter obtulerit restitutionem, vel nisi remissio sit omnino libera, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. sub nu. 348. & 349.

67 vbi vide: † Ergo cum mutuator usurarius usurpet rem alienam, coacto, & extorto domini consensu, dominium rerum, quas extorquet ex causa usurarum, nō transit in ipsum usurarium, Clar. recept. sent. lib. 5. § usur. vers. præterea dominium. &, quod usurarius non comparet dominium rei, per usuram acquisitæ, latè tuetur, & sequitur post alios, quos citat Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 326. vers. contraria sententia. & seq. col. 304. & seq. &, quod idcirco fructus, percepti ex censu, inito contra formam constitutionis Pij V. quamuis bona fide essent percepti, nunquam transeant in dominium recipientis, & usurarius non acquirat dominium usuræ, secutus sum supra q. 1. sub num. 209. versus finem, illat. 1. Ergo tenetur omnino restituere, quia sicut consensus coactus non eximeret raptorem ab obligatione restituendi, ita etiam non eximet usurarium.

Ex hac ratione nota duo. Primum, quod in usuris etiam Rex est capax coactionis passiuæ, quamvis ipse & viribus, & potentia longè usurarium cogentem excederet, & consequenter in foro fori minus malū visum esse, quod usurarius cogat Regem ad soluendum iniustas usuras, quam vt Rex iniusta vi cogat usurariū ad mutuandum sibi sine usuris. Secundum, quod ruit argumentum, quod re-

fert Io. Andr. in cap. peccatum. in appendice post cap. possessor. sub num. 4. de reg. iur. in 6. ad ostenden dum, usurarium contractu esse licitum: argumentum est hoc: unusquisque potest licite accipere, quod sibi voluntariè donatur: sed, quod recipit foenerator per contractum usurarium, sibi voluntariè donatur, quia datur per pactum in contractu mutui. Ergo.

Amplia hanc subillationem, vt procedat etiam si mutuator fuerit à mutuatario inductus ad mutuandum, quia licet hoc ipso mutuatarius sit in æquali peccato, tamen mutuator non inducitur à mutuatario ad recipiendam usuram, imò ipse, dum recipit, committit rapinam, vt dixi supra q. 1. sub num. 331. vers. respondeo.

Sub infero secundo, quod is, qui, adhibito iniusto metu, contraxit, seu donationem habuit, tenetur in utroque foro restituere, quia iniustus metus, seu qui in constantem virum cadit, excludit consensum, prout declarat Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 15. vbi de communi, & latè materiam huius subillationis explicat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 23. per totum, col. 303. & seqq. & lib. 6. tit. de contract. cap. 7. per totum, col. 510. & seqq. & de iure naturali, quando in contractu, seu obligatione deficit consensus, in conscientia huiusmodi contractus, seu obligatio non valet, nec Ecclesia potest facere, vt valeat, quia vbi in contractu abest consensus, tollitur substantia contractus, Ioan. Azor. eod. lib. 4. tit. de restit. cap. 24. q. 1. vers. in hac re. col. 308.

Explica primo hanc subillationem, vt in foro interiori non solum metus, cadens in constantem virum, obliget, vt dixi, ad restituendum, sed etiam metus reverentialis, & alius quius minor eo, qui cadit in constantem virum, dummodo is fuerit talis, vt fuerit causa, sine qua non, idest, quod alias non fuisset datum, &c. secus est in foro exteriori, vt dixi, quia, si in foro exteriori daretur rescissio actuum ob leuem metum, omnium ferè repeteretur rescissio, & ita Resp. litibus molestaretur, Nauar. d. cap. 17. sub num. 30. vers. hactenus.

Explica secundo, vt qui dicatur metus, cadens in constantem virum, remittatur arbitrio boni viri, idest, iudicis, Franc. de Plat. tract. de excomm. §. 46. num. 10. tom. 14. fol. 360. & Mar. Salom. in l. 1. sub num. 11. ff. de



ff. de legib. inter Repeten. tom. I. fol. 168.

Pro vltiori huius secundæ explicatio-
nis, seu verius arbitrij intelligentia, distin-
guo duplcam speciem actionis meticulosæ.

Prima species actionis meticulosæ est il-
la, qua agens, contrahendo, & distrahendo,
disponit de re temporali: & in hac prima
specie in qua agitur de validitate, & inuali-
ditate contractus, consideranda est qualitas
personæ metuentis; quia minor metus exi-
gitur in muliere, quæ in homine; in mulie-
re enim sufficit metus, qui possit cadere in
constantem mulierem; at in homine requiri-
tur metus, qui cadat in constantem virum,
Abb. in cap. 14. cum locum. sub num. 6. de-
sponsal. minor etiam requiritur in homine
meticuloso, timido, quivè fit pusilli animi,
quæ in forti, & audace viro; maior in mu-
liere viragine, quæ in verecunda, & timi-
da; sic etiam venditor de mancipio, si affir-
met emptori, esse constantem, non exactam
constanria, quasi à philosopho desideratur,
l. 18. si quid venditor. ff. de edil. edict. & in
hac specie actionis meticulosæ procedit pre-
cedens secunda subillatio.

Secunda species actionis meticulosæ est
illa, qua quis, metu adductus, agit turpiter,
nempè, contra legem naturæ, seu Dei: & in
hac specie, nulla habita differentia qualita-
tis agentium, an sit mulier, an vir, an for-
tis, an meticulosus; nullovè habito discri-
mine qualitatis metus; an sit magnus, an
ratis, qui cadat in constantem virum, seu
non cadat; concludo, omnes, facientes con-
tra eiusmodi legem, mortifere peccare, quo-
uis metu fuerint impulsi; metus enim in his;
qualis qualis sit; operationem à peccato non
excusat, cum sit omnino mala, & non excu-
sanda, quia debet quis potius mortem vio-
lentam pati, quæ aliquod peccatum com-
mittere, cap. 5. sacris. & ibi Abb. num. 1. &
sub num. 5. de his quæ vi met. ca. fiunt. & fa-
tius est, mori fame, quæ idolothesis vesci,
cap. 8. sicut satius. 32. q. 4. quod explicat
Albert. de agnosc. assert. cathol. q. 30. nu. 11.
versi. quia potius. tom. 11. par. 2. fol. 102. vn-
de, qui mortis metu fidem abnegat, mortaliter
peccat, Alber. d. q. 30. num. 8. vers. c. i. ca-
tamen. Simanch. de cathol. instit. tit. 17. nu.
35. vers. sed inter haeresim. in fine, eod. tom.
fol. 140. & Pegr. ad Eymer. direct. par. 1. in
q. 9. commen. 24. vers. ac primum quidem.
in fine, & est apud omnes tam philosophos,
quæ theologos, ac iuriis prudentes compre-

batū, mortem, ac extrema omnia subeunda,
prius quæm quicquā eorum, quæ natura fœ-
da sunt, facere; & generalius secundum ca-
nones, quæm mortaliter peccare, Mar. Sa-
lom. in l. 1. num. 8. vers. in hoc iure. & num.
9. ff. de legib. inter Repeten. tom. I. fol. 168.
hincq; egregium illud, malo mori, quæm fœ-
dari: & pro huius conclusionis distincta in-
telligentia, & veritate adde omnino, quæ
diluendo aliqua, quæ videbantur obstare;
scripsi infra vers. quia respondeo. & vers. vo-
luntarium vero. ibi, secundus casus.

Confirmatur primo hæc conclusio, quia
magis timere debemus eum, qui minatur,
& potest occidere corpus, & animam, quæm
eum, qui minatur, & potest occidere solum
corpus, Matth. 10. num. 28. & nolite timere
eos, qui occidunt corpus, animam autem non
possunt occidere, sed potius timete eum, qui po-
test & animam, & corpus perdere in gehen-
nam. ergo is, cui, non peccando, imminet
mors corporis, &, peccando, imminet mors
corporis, & animæ, debet non peccare.

Confirmatur secundo, quia etiam in fo-
ro militaris, terrenæque disciplinæ potius
mors obeunda est, quæ non seruare præce-
ptum Ducis belli; in hoc enim foro nihil
seuerè minus vendicantur, quæ metu, aut
maioris vis impetu admittuntur; quare lo-
cum in acie deserere, stationem irruentibus
hostibus relinquere, fossa, vel muros non
implere, fuga se tueri, & arma abijcere,
quouis metu urgente, seuerè puniuntur,
Mar. Solom. in d. l. 1. sub num. 13. & 14. Qui-
nimo in re militari non seruans mandatum
Ducis belli, capite punitur, etiam si fœlici-
ter rem gesserit, vt securus sum in meo tract.
de iudic. caus. lib. 1. cap. 97. sub num. 181. &
182. Ergo cur in foro interiori militaris cœ-
lestis disciplinæ non itidem obeunda est po-
tius mors, quæ facere contra præceptum
Dei?

Confirmatur tertio, quia ab honore ad
animam, vti à minori ad maius, valet argu-
mentum, quia quæ apud illustres gentiles
erat olim honoris æstimatio, eadem & ma-
ior apud religiosissimos christianos est hodie
animæ, cum utriusque virtus inseparabiliter sit
coniuncta: sed apud graues, aliosq; honestos
viros honor cæteris rebus est præferendus, l.
26. iulianus. ff. si quis omis. caus. testam. & l.
5. reprehendenda. C. de instit. & subst. imo
honor & qui paratur virtæ, l. 9. iusta causa. ff. de
manum vind. & secundum communem scri-
bentium

bentium sententiam vitæ præferri debet; unde quæ de honestat, & famam, honoremq; lèdent, magis quàm mors timenda sunt; hinc stupri metus maior, quàm mortis esse debet, adeo quòd potius mors eligi debet, quàm pati stuprum, & ideo, qui ad evitandum stuprum quid dederit, actione quod metus causa recuperat, l. 8. isti quidem ff. de eo quod met. caus. & mulier potius famis necessitatem pati, quàm turpem vitam elgere debet, l. 43. palam. ff. de rit. nupt. hinc nobilis Lucretia Romana, Collatini vxor, & castitatis exemplum, foedi in se commissi, quamvis violenter, ægra, atque impatiens se peremit, vt narrant Liu. lib. 1. ad finem, & D. August. relatus in cap. 4. proposito. S. lucretiam. 32. q. 5.

Ergo, si pro honoris, & famæ defensione mortem, & cætera omnia mala fortiter pati, ac contemnere debemus, à maiori eadem omnia fortius contemnere, & pati debemus pro animæ salute, quia anima est multò pretiosior corpore, cap. 13. in fine, de pœnit. & remiss. & quo quis honore, & fama mundana.

Non obstat firmatæ conclusioni, quòd Deus respiciat animum, vt ex Abb. retulî supra sub num. 59. vers. corroboratur. &, quòd peccatum sine volūtate peccandi non sit peccatum, adeo quòd nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium, vt ex D. August. de vera religione, cap. 14. refert text. 15. q. 1. initio; & ideo, qui fame conficitur, si ab excommunicato cibum petat: qui in puteum cecidit, & à prætereunte excommunicato opem implorat: qui lege, aut ex professo religionis carnes manducare prohibetur, & in eum locum venit, vbi, cum nulla alia re cibari possit, carnibus vescitur, non peccat, Mar. Salom. in d. l. 1. sub num. 8. ff. de legib. quæ singula comprobantur, quia neque Davidi Regi imputatum est peccatum, quòd esuriens, ipse, & qui cum eo erât, comederunt panes propositionis, quos Sacerdotibus tantum edere licebat, 1. Reg. 21. num. 3. & seqq. & Matth. 12. num. 3. & seqq. & qui coactè ad sui defensionem, & metu suæ mortis aggressorem occidit, caret culpa, & nulla est dignus pœna.

Quia respondeo, distinguendo inter inuoluntarium, & voluntarium, & utrumque est duplex: est enim inuoluntarium purum, quod dicitur per vim præcisam, & absolutam, quando scilicet in nobis non est, utrum agamus, vel non agamus, sed extrinsecus

prouenit, vt si ventus nos aliquo deferat, quia tunc non subiçimur legi, loquenti de cunctibus illuc, l. 15. cæsar. & l. seq. S. si propter. ff. de public. & yestig. alterum in uoluntarium est illud, quod faciunt ignorantes, & demētes sine ipsorum culpa; vt in d. caus. 15. q. 1. initio; qui enim demens agit, ignoranter agit, & qui ignoranter agit, errat, & qui errat, non consentit, & ubi consensus nullatenus concurrit, id omnino inuoluntarium est: & in eiusmodi inuoluntarijs procedit obiectio; quare, si quis in primo genere inuoluntarij ligatus, & renitens circundatur, vel eius genua per vim ab alijs ante idola, vel Mahometum flestantur, vtique talis non abnegat Christū, quia dicitur potius pati, quàm agere, ideoq; non peccat, sicut & is, qui inuitus, reclamans, & renitens ad fontem baptismatis feratur, & cum verborū prolatione immergatur, non recipit sacramentum baptismatis, Albert. de agnosc. assert. cath. q. 30. num. 7. vers. secundus casus. tom. 11. par. 2. fol. 102. Simanch. de cath. insti. tit. 17. num. 29. vers. qui autem vi coacti. fol. 140. & Pagn. ad Eymer. direct. par. 1. in q. 9. commen. 24. vers. ac primum. & hinc in Concilio Anchiritano agitatum fuisse de illis sacerdotibus, quorum manus violenter idolorum sacrificijs admotæ fuerunt, scribunt Simanch. in loco, proximè citato, & Mar. Salom. in d. l. 1. sub num. 2. ff. de legib. cuius Concilij verba formaliter refert Pagn. d. commen. 24. vers. de coactis. & vers. seq. & mulier, quæ per eiusmodi vim stuprum, seu adulterium passa est, nulla pœna tenetur, l. 20. fœdissimam. C. ad l. iul. de adult. & egregiè Abb. conf. 4. facti contingentia. num. 1. & seqq. lib. 1. post D. Augustinum, relatum in cap. 4. proposito. S. lucretiam. 32. q. 5. Similiter, si quis in secundo inuoluntarij genere ignoranter bis baptizatus fuerit, non indiget pro eo pœnitere, cap. 117. qui bis. de consecr. dist. 4. si quis filium occidat, putans hostem occidere, si magister gladiatorius, docendi causa, percutit, unde mors sequitur, venia digni sunt, quia ignoranter fecerunt, Mar. Salom. in d. l. 1. sub num. 17. ff. de legib. & nescientium non sunt peccata, cap. 1. meritò. & ibi Glos. vlt. 15. q. 1. vbi latè declarat, cum non omnis ignorantia excusat, & ideo de quibusdam ignorantibus dictum est, si quis ignorat, ignorabitur. d. caus. 15. q. 1. initio. & hæc de inuoluntario.

Voluntarium etiam est duplex: alterum dicitur

dicitur liberum, seu spontaneum : alterum vero non liberum, sed coactum : liberum dicitur propriè voluntarium, quia voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid non faciendum, vel faciendum, ut ex D. August. lib. i. retract. cap. 15. refert text. in 15. q. 1. initio, & peccatum ita voluntarium in hoc primo genere est propriè peccatum, venia omnino indignum, quia ex voluntate peccata procedunt, quæ libero mentis arbitrio, & delinquentis proposito committuntur, d. caus. 15. q. 1. initio.

Voluntarium vero coactum dicitur, quando quis aliquid contra voluntatem facit, sed tamen vult facere, propter quod facit, & in hoc, an peccet, si, quod facit, est contra legem Dei, seu naturæ; distinguo duos casus: Primus casus est, quando quis, ita faciendo, obtemperat soli naturæ, præcipienti vita defensionem: & isto casu non peccat, quia eadem lex naturæ, & Dei isto casu non intendit illum obligare ad parendum; & ita procedunt exempla, adducta in obiectione, de eo, qui, ne fame conficiatur, cibum petit ab excommunicato; de eo, qui cecidit in puteum, & opem ab excommunicato implorat; de eo, qui præter carnes alium non habet cibum; & de eo, qui, ad suæ vitae necessariam defensionem, aggressorem occidit; in his enim dicimus etiam, ut in obiectione, quod Deus animum respicit: Secundus casus est, quando quis, obtemperando tyranno, facit contra legem Dei: & isto casu, quo quis mortis metu imminente, faciens contra legem Dei, mortaliter peccat; quare iussus à tyranno occidi, nisi innocenter occidas, aut quid aliud turpe facias, debes potius mori, quam facere, & in his terminis procedit conclusio, posita supra vers. secunda species. quæ conclusio confirmatur ex eo, quod Eleazar annorum nonaginta, seni venerabili, & septem Machabæis fratribus ab Antiochæ rege iussis carnes porcinas edere, glriosum fuit, dira tormenta, & cruciatus perpeti maluisse, quam contra patrias leges facere, ut legitur 2. Machab. cap. 6. num. 26. & seqq. & cap. 7. num. 1. & seqq. & alijs illustratur exemplis: nam Aemilius Papianus, cui in iuris prudentia parem secula non tulerunt, occidi maluit, quam iussus ab Imperatore Carcalla parricidium excusare; & Mutius Sceuola truculento Syllæ in hæc verba respondit: licet mibi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, licet

mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, vt, propter exiguum, similemque sanguinem meum, C. Marium, à quo Vrbs, & Italia seruata est, hostem iudicem. O memoratu digna exempla, quibus utinam nostri seculi iudices tenerentur.

Ratio, quare hoc secundo casu metus, cädens etiam in constantissimum virum, non excusat à peccato, est duplex.

Prima, quia adhuc est peccatum voluntarium; hi namque actus, & si mixti sint ex voluntario, & inuoluntario; tamen voluntariis magis similes sunt, ut ex Arist. sequuntur Mar. Salom. in l. 1. sub num. 3. vers. mixti sunt. ff. de legib. inter Repeten. tom. 1. fol. 168. & Albert. de agnosc. assert. cath. q. 30. sub num. 8. tom. 11. par. 2. fol. 102. & in rubr. q. 13. sub num. 68. vers. & dixi peccasse. de hæret. in 6. inter Repeten. tom. 5. fol. 377. nam est in agentis electione, quid agere velit; & proinde si quis alteri mortem minetur, si noluerit peierare, & ipse peieret; utique et si non sponte dicatur peierasse; tamen dicitur voluisse peierare, quia voluit vivere, ut dicit text. in cap. 1. merito. 15. q. 1. sicut ille, qui leuandæ nauis causa iactum in mare facit, impellente necessitate, facit, tamen volens facit pro sua salute contra vim tempestatis; similiter in eo, qui torquetur, fateri, & non fateri in eius potestate est; hincque multi noxii obstinati animis omnes tormentorum cruciatus superant, præligentes non fateri; aliqui vero tanta sunt impatientia, ut nedium commissa, sed etiam non perpetrata scelera fateri velint potius, quam pati tormenta: unde qui tormentorum cruciatus satetur, quamvis sponte non fateatur, tamen volens dicitur fateri, obstringiturque ea confessione; legitima modo præcedant inditiae, & ideo notarius non debet scribere, quod reus tortus confessus est sponte, quia falsum scriberet, sed debet scribere, quod est voluntariè confessus, ut hæc omnia admonet Salom. in d. l. 1. sub nu. 3. & 4. est tamen verum, quod in ratificatione ad bancum iuris notarius de stylo permisso scribit, quod sponte ratificat, ut secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 9. hincque adiens hæreditatem per metum, hæres efficitur, l. 21. si mulier. S. si metu. ff. quod met. caus. ex quo textu notant communiter, quod voluntas coacta, voluntas est.

Secunda ratio, & elegantior est, quia, ut, loquendo de idolatria, & apostasia à fide, &

per

per consequens de hæresi, scribit Eymer. in
direct. inquis. par. 2. q. 41. de blasphemis. nu.
8. vers. nec excusatur. metus mortis pro fidei
defensione, & confessione, quantum ad ve-
rum catholicū, non est metus, cadens in con-
stantem virū; quinimo nec metus mortis pro
peccato mortali etiam minimo perpetrando.

Tria circa præmissa breuiter notāda sunt.
Primum, quòd etsi metus, qui cadat in
constantissimum virum, à peccato mortali
non excusat, per ea, quæ dixi supra vers. se-
cunda species. tamen minuit pœnam tam in
huius, quam alterius vitæ tribunal, & ita
in nostro foro quotidie videmus practicari,
siquidem peccatum, quò magis voluntarium
est, eò magis malum est, & proinde sicut il-
le, qui nullo, vel leui metu ductus, magis vo-
luntariè peccat, quam hic, qui metu mortis
peccat, ita ille magis, quam hic puniri debet.

Secundum notandum est, quod hi, qui mortis metu, seu alio maioris vis impetu peccant, aut à virtute deficiunt, non æquiter excusantur, cap. 118. eos quos. de consecr. dist. 4. vbi grauius puniuntur Episcopi, sacerdotes, & diaconi, quam inferioris ordinis clerici, idq; suadetur ratione, quia non eadem desideratur constantia in mancipio, quæ desideratur in philosopho, l. 18. si quid venditor. ff. de edil. edict. & sicut maior exigitur virtus in sapiente, & in nobili, quam in humili, & plebeo; ita etiam virtutis defectus maior est in illo, quam in isto.

Tertium notandum est, quod in criminis
haeresis metus, cadens in constantem virum,
adeo excusat à poena, ut si captus ab infi-
delibus, vel haereticis mortis metu Maho-
metum adorauerit, seu ad Iudæorum ritum
transierit, vel aliter fidem abnegauerit, haereticus
censendus non sit, Albert. de agnosc.
assert. cath. q. 30. num. 6. & 8. tom. 11. par. 2.
fol. 102. & in rubr. q. 13. num. 67. de haeret.
in 6. inter Repet. tom. 5. fol. 377. Simanch.
de cath. instit. tit. 17. num. 35. & 36. fol. 140.
Conrad. Brun. tract. de haeret. cap. 4. nu. 9. &
seqq. fol. 273. & Pegr. ad Eymer. direct. par.
1. in q. 9. cōm. 24. vers. rursus animaduertēdū.

Ratio est, quia sicut coacta verę fidei confessio non facit catholicum; spontanea enim, non compulsa debet esse fidei professio, dicente Apost. ad Rom. 10. num. 10. corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. ita nec coacta erroris assertio facit hæreticum: de corde enim exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicatio-

cationes, furtæ, falsa testimonia, blasphemiae;
hæc sunt, quæ coinquian t hominem, Matth.
15. num. 19. hæresis ergo non ante perfici-
tur, quæm pertinax consensus accedat, quia
non in factis, aut dictis, sed in intellectu, &
voluntate consistit, cum credere non sit, nisi
in volente, vt eleganter exprimit Simanch.
d. tit. 17. num. 35.

Tēpera hoc tertiu notandū, vt excusetur omnino in foro interiori, si appareant signa, & gesta de dissensu, & de non ratificatione; at in foro interiori adhuc non omnino excusat, per ea, quæ dixi sup. vers. secūda. & seqq.

68 Infero secundo, quod si tu ex contractu, gesto cum pupillo sine tute, aliquid habueris, teneris in foro interiori illud restituere, quia, cum deficiat consensus domini, contractus est ipso iure nullus, Innoc. in cap. 8. quia plerique. sub num. 3. vers. sed quid dices in eo. Io. Andr. sub num. 4. vers. quid si quis tutus. ibi, sed quid dices in eo. Anch. num. 11. in fine, & num. 12. q. 5. de immun. eccles. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. col. 3. ibi, ad cuius explicationem. fol. 326. & col. 6. in solutione secundae rationis, ibi, contingit esse puerum. fol. 327. & ita, generalius formato dubio, post longam disputationem concludit in effectu Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 4. tit. an per contractum, &c. conclus. 1. fol. 148. & huius illationis argumenta, generaliter formato dubio, adducit Sot. d. art. 3. initio, & latius Mich. Sal. d. art. 4. tit. an per contractum, vers. in hac questione. & seqq. fol. 145. & quod lex positiva, quae inhabilitat personam ad contrahendum, obliget in foro poenitentiae, & conscientiae, & in nullo foro ex tali consensu, reprobato a iure positivo, oriatur obligatio, cum lex positiva disponat super veritate, & non ex presumptione, sequitur Petr. de Anchar. in cap. peccatum. num. 11. in fine, & sub num. 12. de reg. iur. in 6. haecque illatio est communis, pro qua adduci possunt Bal. Sot. & Couardum tenent, quod haeres non teneatur solvere legata, relicta in testamento minus solemnni, ut ex eis retuli infra sub num. 114. vers. infero. & consequenter tacite sentiunt, quod legatarius, seu haeres, qui haec legata, seu hereditatem accepissent de manu non haeredis, teneantur etiam in foro conscientiae restituere.

69 Ratio huius illationis non est illa, quam
Innocent. Io. Andr. Sot. Mich. Sal. supra cita-
ti, & cæteri videntur considerasse, nempe,

quia deficiant solemnitates, requisitæ à iure; siquidem hæc ratio non concludit in testamento, quod etsi minus solempne sit, obligat tamen hæredem in conscientia, ut secutus sum infra sub d. num. 114. vers. infero. nec concludit in contractu, quia contractus mulieris, factus sine fraude, valet in foro conscientiæ, etiam non seruata forma statuti, loquentis de consensu propinquorum, Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub num. 40. de constit. nam in foro conscientiæ attenditur veritas, & non solemnitas: † ratio igitur est, quia minor 14. annis æquiparatur furioso, ut scripsi par. seq. limit. 17. num. 6. vel quia impuberis ætas, quod vider, ignorat, vt ex l. 1. versus finem, C. de fals. mon. retuli in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 1. num. 238. & consequenter, si ignorat, non potest consentire, deest igitur in pupillo consensus perfectus, cum habeat imbecille, & infirmum iudicium, l. 1. ff. de min. 25. ann. quod est pars substantialis consensus; & paria sunt, non adesse consensum, vel adesse inutilem, infirmum, & imperfectum; vnde & ille titulus habetur pro non titulo, & consequenter deest etiam bona fides, quia contra iura tu es mercatus.

71 Contra hanc illationem sentit Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. num. 12. dicens, quod emens à pupillo, vel ab ecclesia sine solemnitatibus legitimis, cum vero tamen pretio, & causa legitima subsistente, potest bona empta retinere cum bona conscientia; & facit, quod scripsi sup. sub num. 4.

72 Confirmatur primo hæc opinio contraria, quia contractus, initus cum pupillo, est nullus ipso iure, volente pupillo; secus, eo nolente, vt puta, quia utiliter contraxerit, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 320. ergo quamdiu pupillus nō reclamat de illo cōtractu, is, qui secum contraxit, est tutus in foro conscientiæ.

73 Confirmatur secundo, quia pupillus obligatur naturaliter, vt secutus sum d. cap. 2. num. 344. & in foro conscientiæ attenditur ius naturale, vt ex Abb. retuli sup. sub num. 57. & solui debet, quod naturaliter debetur, vt secutus sum infra num. 95. extens. 2. ergo qui rem à pupillo habuit, non tenetur in foro conscientiæ restituere.

74 Retenta illatione, & pro solutione contrariorum.

Declara primo eam, vt procedat, quando contrahens cum pupillo, videbat, quod pu-

pillus ex illo contractu lædebatur, quia tunc habuit infectam conscientiam; & dicitur lædi, etiam si ei vendenti soluatur iustum pretium, si pretium illud probabiliter dissipatus sit; secus si videbat, pupillum rem utilem gerere, quia isto casu non habuit infectam conscientiam, & damnum non inferebat, & ideo in foro conscientiæ cessat restitutio.

75 Declara secundo illatiue ex præcedenti, vt obligatio pupilli sit naturalis, quando illa obligatio eum non lædit, & ita procedunt, quæ scripsi in citato cap. 2. num. 344. secus quando illa obligatio ipsum lædit, quia tunc nec ciuiliter, nec naturaliter debet obligari, cum æquitas naturalis, & ius naturale ve-llint, minores, & pupilos conseruari indem-nes, l. 1. ff. de min. 25. ann. hoc edictum præ-tor, naturalem æquitatem secutus, proposuit, quo tutelam minorum suscepit, &c. & §. vlt. Instit. de attil. tut. impuberes autem in tutela esse iuri naturali conueniens est.

76 Subinfero, confirmando eandem illatio-nem, quod multo magis sine consensu do-minii dicitur retinere, qui rem à furioso ha-buit, & propterea tantò magis tenetur etiam in foro conscientiæ restituere.

77 Infero tertio, quod si tu ex contractu, quæ tecum per errorem quis iniuit, aliquid habuisti, teneris illud restituere, quia error excludit consensum, & excluso consensu, dominium non transfertur, & non translato dominio, tu detines rem alienam, quam iure vtriusque fori teneris restituere.

78 Subinfero primo, confirmando, & decla-rando, quod si is, qui in te rem alienauit, est prudens, & sagax, qui verisimiliter sciat, rem pluris valere, sed voluerit, illud plus, seu resi-duum habere pro derelicto, tu non teneris illud restituere, nec in foro exteriori, nec in foro interiori; secus si non sit prudens, & sagax, quia tunc quamvis parua sit læsio, te-neris in foro conscientiæ ad restitutionem, Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. sub nu. 12. cas. 5. hancq; subillationem latè explicat ibidē Abb. sub nu. 28. & ita secutus sum sup. ampl. 10. nu. 54. 51. & sub n. 53. vers. contra.

79 Subinfero secundo, quod hypocrita, qui multa bona acquisiuit sub nomine boni christiani, tenetur in foro conscientiæ illa-restituere, Innoc. in d. cap. quia plerique. num. 5. vers. de quæsitis in bello. Io. Andr. sub num. 4. vers. de quæsitis autem. Anch. nu. 14. vers. quid de hypocrita. Abb. nu. 36. q. 12. & Ant. de Butr. sub num. 12. cas. 6. in-fine,

fine, vbi hanc subillationem extendit ad eremitas, & ad eos, qui singunt, se esse infirmos, & Abb. vbi supra addit, quod etiam in foro judiciali possunt haec bona ab eo extorqueri, quia non sunt sua, sed sunt Ecclesiae vniuersalis, sicut cetera bona ecclesiastica, Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 4. col. 3. in fine, vers. usur. autem. fol. 338. dicens, quod qui, simulata paupertate, elemosynam accipit, cum vere pauper non sit, tenetur eam restituere, ex communi doctrina, & in tit. de reb. restitut. q. 23. vers. ad quintum. fol. 190.

Verum haec restitutio facienda forsitan non est illis, qui bona dederunt, quia illi receperunt mercedem suam a Deo, sed est facienda ipsi Deo in elemosynam, Abb. vbi supra.

Ratio huius subillationis est, tum quia illi, qui dederunt, errarunt, credentes dare bono christiano, & non hypocritae, & sic errando, deficit consensus, per ea, quae dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 489. & quod inter omnes conueniat, ut quoties error est in persona, tunc accepta per errorem sint restituenda, quia quod per errorem in persona datur, non est volutarie datum, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 22. vers. his positis. col. 302. tum quia iste hypocrita per fraudem quasiuit, ut dicunt prefati Doct. quae fraus includit non solum dantis errorem, sed accipientis malitiam, & fraudem, quae errorem causavit.

Ab hac subillatione non discedo, quia licet circumferantur opiniones, quas refert Io. Azor. d. tit. de restit. cap. 21. q. 8. col. 298. & seqq. adhærendo opinioni Medinæ d. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 23. vers. quinto arguitur. & vers. seqq. fol. 186. & vers. ad quintum. fol. 190. vbi sic distinguit: aut causa illa, quae deficit in donatario, fuit causa finalis donationis; & tunc, quod ei fuit donatum, est restituendum: aut fuit impulsua, & tunc non est restituendum; & ex hac distinctione infert Azor. ad multa.

Tamen haec Medinæ opinio concordat cum subillatione, quia in subillatione presupponimus causas donationis, & elemosynarum fuisse causas finales.

Infero quarto, ex eodem consensus defectu, acceptum ab ecclesia sine superioris assensu, esse utriusque fori iure restituendum, & ex assensu defectu insurgere malam fidem, quia, qui contra iura mercatur, est in mala

fide, cap. 82. qui contra. de reg. iur. in 6. & ideo emperor, qui iusto pretio emerit a rectore res ecclesiae, cuius habet liberam administrationem, tenetur iure utriusque fori restituere, non solum res, sed etiam fructus, quos percepit, Anch. in cap. possessor malæ fidei. num. 11. in fine, de reg. iur. in 6.

82 Infero quinto, quod si haeres per errorem facti soluerit tibi integrum legatum, non detracta eius falcidia, tu in utroque foro teneris restituere, semel tamen, ut explicavi infra num. 113. iuncto num. praecedenti 112.

Infero sexto (constituendo regulam ampliatiuam) quod quisquis rem alienam habet contra voluntatem domini, tenetur eam domino restituere, per ea, quae scripsi supra num. 60. & seqq.

Extende hanc illationem, seu regulam, ut procedat non solum in eo, qui accipit rem, quam sciebat esse alienam, & ideo sciebat, quod eam accipiebat a fure; sed etiam in eo, qui hoc ignorabat, quando eam accepit, sed scit postea, dum eam retinet, quia uterque dicitur eam retinere contra voluntatem domini, & consequenter esse in mala fide; & ideo tenetur ad restitutionem, per eadem, quae dixi d. num. 60. & seqq. quantauis enim optima fide quis rem alienam accipiat, tamen statim atque cognoverit, esse alienam, tenetur eam prima opportunitate restituere, quia non potest rerinere rem alienam, inuito domino; hincq; lex ciuilis, ubique res fuerit, concedit domino, ut, etiam nullo restituto pretio, possit eam vindicare; quod si prima opportunitate, postquam cognouit esse alienam, non restituat, ex tunc incipit esse possessor malæ fidei, & consequenter obligatur restituere non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentoris; & proinde si res interim periret, sibi non restituenti periret, quia fuisset in mora, Leon. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. num. 1. & 2. imò secundus detentor, si sciatur, rem esse alienam, sibi ipsi accipiendo, furtum committit, rem alienam iniuste contrectando, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. initio, fol. 94. & bene solidatur ex his, quae scripsi supra ampl. 8. num. 200. & aduerte, quod loquor de re mobili.

Subextende primo hanc extensionem, ut, si res extet, teneatur rem ipsam restituere; si vero non extet, quia consumpta sit, teneatur soluere valorem, Medin. in loco, supra proxime citato; vel, si extet, sed non penes

se, quia sit ei farto subtractas & moueor, quia ita teneretur ipse fur, Sot. de iustit. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. vers. questio hæc. paulò post initium, conclus. 2. col. 2. fol. 378: cum fur sit semper morosus, ut securus sum supra ampl. 8. num. 117. & is, qui retinet scienter rem alienam, reputatur fur, vt ex Medin. retuli supra in extensione, & dicitur non minus morosus, quam ipse fur, vt ex eodem Medin. securus sum d. ampl. 8. num. 117. & quod quilibet, qui mala fide retinet rem alienam, teneatur eam restituere, & ipsi, & non domino pereat, & ideo, ea perempta, teneatur soluere illius pretium quanti plurimi, securus sum ex Nauar. d. ampl. 8. sub nu. 117.

Subextende secundo, vt teneatur restituere, etiam si nullam ex ea re vtilitatem accepit; & moueor, quia ita teneretur ipse fur, Sot. in loco, supra proxime citato: ergo ita etiam teneri debet, qui eam retinet, sciens esse alienam; ratio est, quia uterque est in mora.

Subextende tertio, vt si eam ipse iniuriosè contra voluntatem domini acceperit; nempe, rapiendo per vim, vel per furtum, tunc teneatur restituere, non solum, prout dixi supra num. 63. sed teneatur etiam ad duplum, seu quadruplum, vt dixi supra dicta ampl. 8. num. 117. & forsitan, vt credo, hæc subextensio procedet etiam in eo, qui rem illam scienter emit, vel aliter habet à fure, quia sit particeps delicti: sed est aduentendum, quod nec in foro interiori tenetur ad duplum, seu quadruplū, nisi sit per iudicem ad illud condemnatus, cum illud interesse habeat naturā pœnæ, quam nec in foro interiori quis soluere tenetur, nisi sit ad eam condemnatus, per ea, quæ dixi infra n. 139.

Intellige, dum locutus sum de accipiente scienter rem à fure, vt in foro interiori paria sint, accipere scienter, vel dubie, quia dubitans, & adhuc faciens, videtur contemnere animę salutem, qua propterea indignus est; & hoc est, quod dicitur, qui amat periculum, peribit in illo; quia quicquid non est ex fide, idest, ex conscientia, peccatum est, per ea, quæ, generatim loquendo, explicaui supra sub num. 59. & in his terminis motiuat Medin. in loco, inf. proximè citato.

Neque obstat, quod supra ampl. 17. sub num. 22. dixerim totum oppositum, nempe, dubitantem æquiparari ignorantem; quia respondeo, quod cum hæc æquiparatio procedat, & non procedat secundum subiectam

materiam, ego, generatim loquendo, nihil de ea illic firmaui: sed, loquendo speciatim de debitoris idoneitate, libuit æquiparare ignorantem, quia hæc æquiparatio firmiorem reddebat illam subampliationem; & procedit æquiparatio, quia de debitoris idoneitate potest semper dubitari, præsertim propter futuros eventus, & alias, si dato dubio de idoneitate, prohibetur contractus, dissiparetur tota illa negotiatio: ceterum si materia possit consistere sine dubitatione, & loquamur in foro interiori, indubitanter dico, quod dubitans æquiparatur scienti, per ea, quæ dixi sub d. num. 59.

Pro absoluta tamen resolutione huius intelligentiæ vide multas conclusiones, quas tradit Medin. d. q. 10. vers. si verò rem . & seqq. fol. 96.

Restringe primo nunc eandem regulam, eiusq; extensionem, & subextensiones, de quibus supra hoc eodem num. illatione 6. vt non procedant, quando is, qui rem habet alienam, eam habet iuris auctoritate, fundata super veritate, vt puta, quia rem præscriptione acquisierit, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. concl. 4. ibi, vt si ab illegitimo possessore. col. 3. fol. 378. vel eam acquisierit in bello iusto, de qua tamen acquisitione, & de tota materia rerum captarum in bello iusto, cui acquirantur, & an restitui debeant, & an, recepto prius pretio, vel sine, vide Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 11. sub nu. 6. verl. res autem. & num. seqq. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 658. & proinde qui rem emit ab hoste, postquam in hostis dominium transferit, res efficitur ipsius emptoris irreuocabiliter, vt securus sum supra q. 1. sub num. 145.

Ratio huius restrictionis est, quia si rem à fundamento inspiciamus, dicitur habita ex consensu domini, & non contra voluntatem domini, cum legi, transferenti dominium in præscribentem, populus consenserit, vt dixi infra num. 127. & seqq. & belli lex, cui bellatores se sponte supponunt, hæc sit, vt res, in bello iusto capta, efficiatur capientis.

Restringe secundo, vt non procedat in eo, qui à piratis, & latronibus emit rem, cuius dominum ignorat, vel, si non ignorat, emit, quasi dominus eam amplius recuperare non possit, aut ea intentione, & pretio emit, vt quasi utile domini negotium gesserit; quia hic emptor non solum non participat de furto, sed neque eam tenetur restituere, nisi reddito

reddito sibi pretio à domino, ut secutus sum supra q. i. sub num. 145.

Restringe tertio declarando, vt qui rem bona fide emerit ab eo, quem credebat esse dominum illius rei, & postea certam habet notitiam, eum, qui sibi vendidit, eam furto subtraxisse, possit eandem rem eidem furtu conscientia restituere, vt ab eo recuperet pretium, quo se conseruet indemnem in eo, in quo culpam non habet; & se indemnem conseruare non posset, si rem vero domino restitueret, quia amitteret pretium,

Nauar. & alij, quos citat, & sequitur Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. nu. 14.

Confirmatur hæc restrictio, quia charitas ordinata incipit à se ipso, in tantum, quod licet mihi alienas merces proiecere in mare, vt saluarem meas, vt scripsi supra hac ead. q. par. præcedenti, sub num. 73.

Contrariam opinionem (nempè, quod emptor non possit rem furi restituere, sed debeat eam restituere domino, etiam si amittat pretium) tenet, tutiore esse in rigore conscientiæ, & ita agendum esse, si iste emptor credat, quod si rem furi restituat, ea nunquam amplius perueniet ad dominum, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. vers. si autem. col. 3. & fusius in vers. verum. quamvis. col. 5. fol. 96. & simplicius tenet Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. post 4. conclus. ibi, quo fit rursus. col. 3. fol. 378. dicens, quod si reddiderit illegitimo possessori, restituti manet obnoxius, quia de iustitia tenebatur restituere domino; loquitur tamen Sot. cum grano salis, dummodo restituere potuerit domino sine suo magno detrimento, magnumq; detrimentum intelligerem infamiam; & apertius hoc afferit eod. art. 2. col. 5. ibi, ob hoc forte non deerit. fol. 379. & qui alij hanc contrariam tenuerint opinionem, citat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 3. initio.

In hac controuersia Azor. d. cap. 3. q. 1. vers. quare dicendum. concludit, emptorem secundum conscientiam rem domino restituere debere, quando pretium à fure repetere non potest, vel quia in longinqua loca discesserit, & conueniri non possit, vel quia mortuus sit, vel quia non compareat, vel pretium reddere renuat, vel nequeat; tunc enim, inquit, cum res adhuc exter, domino suo debetur, & emptor, si non reddat, incipit esse possessor malæ fidei.

Hæc Azorij conclusio est confusa, quia

non aperit, an restitutio sit facienda domino in casu, quo ipse dominus non possit recuperare pretium à fure, vel in casu, quo illud recuperare non possit ipse emptor; est etiam inepta, dum videtur restitutio restringere sub condicione (quando pretium à fure repetere non potest, &c.) & licet eam conclusionem mutuo videatur accepisse à Sot. d. art. 2. post 4. concl. col. 5. ibi, & confirmatur hæc veritas. fol. 379. tamē Sot. ab ipso in hac conclusione nō citatus, loquitur sine cōditione, quia ex illa importūta recuperandi pretium à fure, non restringit conclusionem, vt restringit Azor. sed probat conclusionem, dicens, quod si latro dispauperasset, emptor in foro iudiciali compelleretur, tanquam debitor, rem cum iactura pretij exhibere; quod, inquit, signum est, emptorem teneri de iustitia: ergo, inquit, ob id, quod reperiri possit latro, dominus nullius amittit: ergo tunc etiam tenetur domino. Sed neque Sot. satisfacit, & clarius, argumentando, locutus est Medin. d. quæst. 10. vers. tum etiam. il 2. col. 5. fol. 96. dicens, quod si emptor posset furi rem restituere, vt pretium ab eo recuperaret, sequeretur, quod si fur esset mortuus, vel esset absens, aut omnino pauper factus, posset emptor rem apud se retinere, aut eam alijs vendere, ne scilicet pretium amittat, quod ipse supponit esse falsum.

Ego non discedo à restrictione, quam bene probat, & validè tuetur Leonar. Less. d. cap. 14. num. 14. & seqq.

Restringe quarto, vt non procedat, quando rem habuit, & retinet bona fide, quia, durante hac bona fide, ignorantia inuiabilis excusat eum etiam à peccato, ideoque neque in foro fori, neque in foro conscientiæ tenetur eam restituere; licet enim rem illam emerit à fure, & consequenter habuerit, & retineat contra voluntatem domini; tamen quia hæc omnia sibi sunt ignota, non habentur in consideratione, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. vers. si autem. col. 3. fol. 95. & hoc transit sine controuersia, quia est impossibile, vt quis obligetur restituere id, quod iuste ignorat esse alienum; & consequenter, si interim, durante bona fide, emptor rem destruxit, seu alienavit, & postea scit, rē illam fuisse furtiuam, & sic tunc incipiatur cessare bona fides, teneatur vero domino restituere, quantum ipsi factus est locupletior; si enim nullum luerum

sibi acquisiuit, vt puta, quia tantum dederit premium furi, quantum postea ipse rem vendidit, aut si per viam donationis rem illam à fure accepisset, & ipse similiter eādem alteri donasset, aut res ipsa in ipsius potestate, nullo inde commodo percepto, perijt; nihil tenetur restituere: e contra; si factus est locupletior, vel inde cōmoditatē aliquam est assecutus, vt, si tantundem de suis bonis erat consumpturus (si rem illam consumpsit) aut alteri eam pro maiori pretio vendiderit, & similia; tenetur id ipsum domino restituere, Medin.d.vers. si autem. versus finem, Nauar.in man.confessar.cap. 17. sub num. 7. & 8. & Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. post 4. conclus. ibi, emi fundum à latrone. col. 3. in fine, & 4. fol. 378. & 379. vbi ponit regulam solemnem, quod quicunque tenetur restituere solum ratione rei acceptæ, tenetur restituere rem, si eam habeat, & solum id, in quo ditior factus est, sed non tenetur restituere id, quod bona fide consumpsit, per quod non est factus locupletior; hancq; regulam multis illustrat exemplis, quæ tu apud eum leges; & regula ista apertere probatur ex l. 22. item veniunt. S. præter hæc. versus finem, vers. eos autem. ff. de petit. hæred. vbi Glos. in verbo, facti essent. dicit, esse optimam regulam, qua nulla ve- rior in iure.

Intellige hanc restrictionem, dum dixi, restituui debere incrementum, quo factus est locupletior, vt hoc sit verum, si incrementum processerit ex re ipsa; secus si processisset ex labore, diligentia, & industria emptoris, qui postea maiori pretio reuenderit, vt declarant Sot. de iust. & iur. d. q. 7. art. 2. post 4. conclus. ibi, intellige autem si factus est locupletior. col. 4. in fine, fol. 379. & Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 3. q. 2. vers. in hac re. col. 248.

Restringe quinto, vt quoad restitutionem facienda in remaneat aliqua differentia inter forum exterius, & forum interius; & idcirco pro vtriusque fori cognitione quoad hæc restrictionem distinguo duos casus, quibus vniuersam ferè restitutionis materiam compendiosè explicabo.

Primus casus est, quando quis tenetur restituere sola ratione rei acceptæ, postquam scit, rem, quam detinet, esse alienam; & isto casu distinguo: aut rem adhuc detinet, aut non detinet: si detinet, dico, quod in ytre que foro, vnica restitutione sufficiente, te-

netur restituere, non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis: si non detinet, rursus inspici oportet, an eam alienauerit, seu consumpsit bona fide, an vero cum dolo, & in fraudem domini: si bona fide, dico, quod in foro conscientiæ tenetur solum restituere id, in quo factus est locupletior, vt dixi in proxima præcedenti restrictione; secus in foro exteriori, quia in hoc foro non potest ciuiliter quis aliter conueniri, quam actione personali, aut reali, vel saltem ex æquitate legis 32. si me & titum. ff. si cer. pet. sed nulla ex his competit domino rei; non enim habet actionem personalem, quia non contraxit cum eo, qui rem aliunde bona fide, & iusto titulo habuit, neque habet realem, quia actio realis sequitur rem penes quemcumque possessorem, vt declarat Maran. in suo spec. par. 4. dist. 3. princip. num. 1. fol. 73. neque competit ei æquitas dictæ l. si me & titum. quia hæc æquitas non datur, nisi inter actorem, & reum sit gestum aliquod negotium, per ea, quæ securus sum in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 6. memb. 6. num. 19. in fine: neque dicatur, quod si is, qui rem alienauit, consecutus est premium ex illa alienatione, illud premium succedit loco rei, & consequenter adhuc possit conueniri, tanquam si rem detineret; quia replico, quod æstimatio, seu premium succedit loco rei in iudicijs vniuersalibus, vt in petitione hæreditatis, Bal. in l. 3. mater tua. sub num. 6. vers. non obstat hæc lex. C. de rei vendic. Negus. tract. de pign. in 1. memb. 5. part. num. 48. tom. 6. par. 1. fol. 225. Vrsil. in annot. ad Affl. decis. 369. alphon. sub num. 10. & latius Tiraq. de retr. lign. S. 32. gl. vnica, num. 21. & 22. fol. 346. quare, si quis, accepto pretio, vendat res hæreditarias, & deinde interrogatus respondeat, se nihil hæreditarium possidere, iste erit mendax, quia premium succedit loco rei, M. Ant. Cucch. de ment. circ. possels. num. 15. tom. 3. par. 2. fol. 295. secus in iudicijs singularibus, Negus. vbi supra, Tiraq. d. gl. vnica, num. 20. Affl. d. decis. 369. nu. 4. & M. Ant. Cucch. vbi sup. num. 329. fol. 298. quia in istis premium non succedit loco rei, nisi in quibusdam casibus specialibus, Vrsil. ad Affl. vbi supra, & in casu, quo res præstari non possit, Bal. vbi supra; & dicitur res præstari non posse, & ideo posse agi ad premium contra eum, qui eam habuit titulo lucrativo, quando est perempta, seu præscripta,

pta, Negus. vbi sup. seu quando non potest recuperari sine magna difficultate, vt quia possidetur à magno barone, vel tyranno, vel est equus, cum quo stipendiarius recessit, Bal. in d.l.mater tua. num. 17. vers. deinde quæro. vnde cum non simus in iudicijs universalibus, neque in casu speciali non potest ratione pretij conueniri: & ratio prædictæ diuersitatis inter forum conscientiæ, & forum exterius est, quia in foro conscientiæ nulla toleratur iniustitia; secus est in foro exteriori; quia in eo, ad euitandas lites, &, ne tollantur commercia necessaria, toleratur quandoque iniustitia, vt dixi supra ampl. 10. num. 45. & seqq. quare lex positiva domino rei satis consultum iudicat, reseruando ei facultatem agendi contra furem, & contra possessorem rei: & hæc quando rem bona fide consumpsit, seu alienauit: si autem alienauit cum dolo, & in fraudem domini, dico in utroque foro, vnica solutione sufficiente, teneri ad restituendum: & quoad forum interiorius dicitur alienare cum dolo, & in fraudem, eo ipso, quod post habitam notitiam rem alienat, nisi aliqua iusta, & vrgens causa alienationem excusaret: at in foro exteriori dicitur alienare cum dolo, & in fraudem, quando timore euictionis alienat in potentiores causæ mutandi iudicium, ff. & C. de alien. iud. mut. caus. & Affl. ad constit. Neap. in constit. eorum fraudibus. sub num. 2. lib. 2. item dicitur alienare dolosè, quando, lite pendente, seu contestata, alienat, quia dicitur dolo desinere possidere, & qui dolo desinit possidere, pro possessore damnatur, quia pro possessore dolus est, l. 174. qui dolo. ff. de reg. iur.

Secundus casus est; quando quis tenetur restituere ratione iniuriosæ acceptioñis; & isto casu dico, quod æquè tenetur restituere in utroque foro, vnica restitutione, seu solutione sufficiente, siue rem possideat, siue non, siue sit factus locupletior, siue non, siue res perierit, siue non.

Restringe sexto, distinguendo tres casus principales, in re, non ex alicuius manibus accepta, seu habita, sed inuenta, & à nemine tunc occupata, seu possessa.

Primus casus est; quando res inuenta, nunquam fuit in alicuius bonis, cuiusmodi sunt gemmæ, lapilli, & cætera, quæ inueniuntur in littore maris; & eiusmodi res occupanti conceduntur, l. 3. item lapilli. ff. de ret. diuis. & S. item lapilli. Instir. eod. & ex

D. Thom. sequuntur Card. de Turrecrem. in cap. si quid. sub num. 1. 14. q. 5. & Mich. Sal. qui alios citat ad D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. rub. de reb. inuent. vers. de rebus primi. fol. 394. item feræ bestiæ, & similia, de quibus eod. tit. de rer. diuis. S. feræ. & Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 170. & consequenter sumus extra terminos habiles, quia res istæ non subiacent alicui restitutioñi.

Secundus casus est in thesauris antiquo tempore occultatis, qui ab aliquo non possidentur; & in his rursus distinguo: aut enim inueniuntur in loco ipsius inuentoris, & tunc sunt ipsius inuentoris, S. thesauros. Institut. de rer. diuis. D. Thom. Card. de Turrecrem. & Mich. Sal. in locis, supra proximè citatis: aut inueniuntur in agro alieno, & non data opera, sed fortuitu, & tunc dividuntur inter dominum agri, & inuentorem pro æquali portione, vt in eod. S. thesauros. & scribunt supracitati: quod si thesaurus sit inuentus in agro alieno, data opera, sunt opiniones, an diuidatur, vt supra; vel sit integer domini agri, de quibus opinionibus Mich. Sal. d. q. 66. art. 5. concl. 4. vers. in prima parte. fol. 395. quare si inuentor in agro alieno, dimidium non restitueret domino agri, peccaret, Nauar. dicto cap. 17. num. 172.

Cæterum Principum legibus hodie thesaorum, siue inueniatur in agro alieno, siue in proprio, spectare ad Principem, huncque esse iam vsum apud omnes ferè nationes, & hinc Hispaniarum Regem, cum primum noverit, thesaorum esse inuentum, sibi illum applicare, data inuentori, vel domino agri quinta parte, scribit, defendēdo vsum hunc, tanquam licitum, & iustum, Mich. Sal. d. q. 66. art. 5. concl. 6. vers. sed nihilominus. Et adeo iste usus inualuit, vt contra inuentores, præcedentibus legitimis inditijs de inuentione, eaq. negata, seu integro thesauro non patefacto, procedant ad torturam: sed quicquid sit de iustitia harum legum, & usus, non est hic locus, vt super materiam thesauri ulterius immoremur.

Tertius casus est, quando inuenitur res, quæ de propinquo erat in bonis alicuius, & tunc denuo distinguo inter qualitates rerum.

Aut enim res inuenta est vilis, seu modici momenti, & tunc inueniens, si eam non restituat, non peccat mortaliter, Nauar. in man. confess. cap. 17. sub nu. 170. vers. diximus. ego intelligo hoc esse verum, quod is,

qui

qui eam inuenit, verisimiliter potest crede-re, eam haberi pro derelicta, quod si non cre-dat, haberi pro derelicta, censeo adhuc, quod inueniens non teneatur, ut diligentia ad sciendum dominum, cum illa diligentia pos-set pluris aestimari, quam res ipsa; sed si, nul-la adhibita diligentia, certò sciret dominum; consulerem semper pro restitutione.

Aut res inuenta est notabilis estimationis; & tunc denuo distinguo. Vel inuentor rem illam accipit animo eam retinendi: & tunc eo ipso committit furtum, Card. de Turre-crem. d. cap. si quid. sub num. 1. & ideo licet non appareat dominus, cui sit facienda re-stitutio, tamen peccat mortaliter. Vel rem inuentam accipit non animo retinendi, sed restituendi domino, qui eam pro derelicta non habet: & tunc non committit furtum, Card. de Turrecr. in loco, supra proximè ci-tato, & omnes communiter: Verum sicut fides sine opere est mortua, ita iste animus, non facta alia diligentia pro restitutione, facienda, non sufficit; quare, si cognoscit do-minum rei inuentæ, debet illi quam citò, cum commodè potuerit, restituere; alioqui, si eum non cognoscat, debet diligenter in-quirere, ut eum sciar, & in his concordant communiter omnes: quod si, facta diligentia inquisitione, eum non inueniat; tunc sunt opiniones: aliqui enim tenent, quod tene-a-tur pauperibus distribuere, Nauar. d. cap. 17. num. 171. & de communi inter Canonistas testatur Mich. Sal. d. art. 5. contr. 1. initio, fol. 398. in fine, & 399. alij verò tenent, inuen-torem posse sibi retinere, & vtrique opinionem esse probabilem, & hanc probabilior-rem restatur, & sequitur Mich. Sal. d. contr. 1. vers. oppositum. & in fine, vers. vtraque. sed si ipse inuentor sit pauper, conueniunt omnes, quod possit in toto, vel pro parte si-bi retinere, adhibito consilio confessarij, Mich. Sal. d. contr. 1. initio, & Nauar. d. cap. 17. num. 171. addens, ut caueat inuentor, ne à cupiditate seductus, negligenter domi-num inquirat, & sibi seipsum pauperiorem, quam sit, persuadeat.

Reliqua quædam, quæ pertinent ad huius sextæ illsationis materiam in foro contentio, so, habes supra quæst. 1. sub num. 556. ex-emplific. 6.

Et hæc satis circa primam declarationem, positam supra num. 62.

83 Declara secundo, extendendo easdem conclusionem, & declarationem, positas su-

pra sub num. 60. & 62. vt detinere rem alienam scienter sine consensu domini, dicatur, etiam si dominus rei egerit in iudicio, & suc-cubuerit, quia illa succumbentia non inducit consensum, nec tollit obligationem resti-tuendi in foro conscientiæ.

Infero primo, probando hanc declaratio-nem, quod si contra instrumentum mutui aliquando non possit excipi de iure positiuo, tamen non excusor de iure, & in foro con-scientiæ, & pœnitentiæ quoad Deum, & hoc ea ratione, quia istud ius humanum est fun-datum super præsumptione, & incerto, Bal. in l. cum quis. num. 14. versus finem, ibi, item posuit exemplum. C. de iur. & fact. ign. quare si tu spe futuræ numerationis confes-sus es in scriptura, te habuisse mutuo à me centum, quæ re vera nunquam tibi dederim, &, elapsō biennio, tu à me conuentus, & à iudice condemnatus, quia non potuisti pro-bare exceptionem non numeratæ pecuniæ, ea mihi coactus per sententiam soluisti, ego in foro conscientiæ teneor tibi ea restituere, licet in foro fori sim rei iudicatae exceptione tutus; & ratio est, quia illa 100. habeo à te sine tuo consensu, siquidem sub spe futuræ numerationis voluisti ad eorum solutionem obligari; sed, non secuta numeratione, no-luisti; vnde licet sententia iudicis sit ritè, & rectè lata ex dispositione legis, præsumen-tis numerationem, & sic consensum; tamen in foro conscientiæ est iniusta, & ideo in eo non obligat, per ea, quæ dixi infra num. 87. & cum tota hac illsatione concordant in effe-ctu, quæ scribit Abb. in cap. 8. quia plerique. num. 18. 19. & 20. de immun. eccl.

Et quia ego teneor restituere in foro con-scientiæ, ut dixi, ideo multò minus teneris tu in foro conscientiæ soluere, quamvis la-plum sit biennium, attenditur enim in foro conscientiæ veritas, & non præsumptio, Innoc. in d. cap. 8. quia plerique. num. 2. in fine, de immun. eccles, quem ibidem sequuntur Io. Andr. sub num. 4. Ant. de Butr. sub num. 9. cas. 4. Anch. num. 8. q. 2. & Abb. num. 18.

84 Sub infero generaliter, quod condemna-tus iniuste per sententiam iudicis (dico iniustè, inspecto foro interiori, sed, inspecto ex-teriori, est iusta) non tenetur in foro con-scientiæ satisfacere condemnationi, Innoc. in eod. cap. quia plerique. num. 3. vers. idem est etiam. Io. Andr. sub num. 4. & latius Ant. de Butr. num. 9. il 2. ibi, ex hoc patet. Anchar. sub nu. 8. ibi, idem dicit in eo. & Abb. nu. 19. & seqq.

& seqq. vbi quatuor colligit conclusiones, & Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 3. caus. 7. vers. de sententia. & seqq. usque ad octauam caus. fol. 44. & 45. & quod conuentus rei vendicatione, & iniustè condemnatus cum præcepto de restituendo, possit retinere, nec rem restituere, & in foro conscientiæ non peccet, sequitur Franc. Nicnit. in cap. quoniam contra. par. 1. num. 686. de probat. tom. 3. fol. 312.

85 Explica obiter hanc subillationem, ut sententia possit multis modis esse iniusta in foro interiori, quamvis sit iusta in foro exteriori.

Primo erit iniusta, quando reus est absolutus, quia actori defecerit non ius, sed probatio: hic enim reus, etsi in foro exteriori sit absolutus, tamen in foro interiori est condemnatus, ideoq; in eo foro tenetur satisfacere, & restituere actori, ac si ab eo rapuisset, quia coram Deo habet infectam conscientiam, sicut raptor; nam DEVS plus ad affectum respicit, quam ad actum, & ideo, ut dicit text. in cap. 6. si quid inuenisti. 14. q. 5. qui alienum negat, si posset, tolleret: Deus enim cor interrogat, non manum. adde quæ secutus sum supra q. 1. num. 530.

86 Secundo dicitur iniusta, quando quis ex falsis testibus, seu scripturis fuit condemnatus; quare is in foro conscientiæ non tenetur huic sententiæ parere, & adulterarius, qui ex hac sententia aliquid consequeretur, tenetur in foro conscientiæ illud restituere, quamvis in foro fori esset tutus, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 1. concl. 2. vers. porro. in fine, fol. 135. & hæc sunt clara, & nemo ex Christianis posset habere conscientiam ita peruersam, vt sibi contrarium dictaret.

87 Tertio diceretur iniusta, quando lex præsumeret præsumptione iuris, & ex hac præsumptione ferretur sententia in casu, in quo veritas esset in contrarium, & ideo, vt fundata in falsa præsumptione, vim non habet in foro animæ, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 1. concl. 2. vers. porro. in fine, fol. 135. & patet ex his, quæ dixi sup. sub num. 83. illat. 1. & proinde quando debitor non soluit, licet fuerit à iudice absolvitus, eo, quia lex, seu statutum mandet, vt lapsu certo tempore, præsumatur solutio, seu satisfactio, prout hanc præsumptam solutio nem mandant statut. Vrbis lib. 1. cap. 158. & 159. tamen in foro conscientiæ debet à

confessario condemnari ad soluendum. 88 Quarto diceretur iniusta, etiam si esset lata ex præsumptione iuris, & de iure, sed veritas esset in contrarium; nam etsi sit iusta in foro fori, ita vt contra illam præsumptionem non admittatur probatio in contrarium, nisi per confessionem partis, cuius fauore præsumptio inducit; tamen in foro interiori est iniusta, quia eiusmodi lex, quæ præsumit præsumptione iuris, & de iure, non debet in foro conscientiæ seruari, supposita veritate contra præsumptionem, sic in effectu sentit. Abb. in cap. 8. quia plerique. num. 39. vers. ego latius. de immun. eccles. Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub num. 40. vers. hanc fallentiam. de constit. & rationem adduxi supra q. 1. nu. 529. vers. confirmatur primo. & proinde si ratio, quare hæres, non confessio inuentario, teneatur ultra vires hæreditarias, esset, quia præsumeretur contra eum dolus, & subtractio bonorum, seu præsumeretur hæreditas soluendo, nisi contrarium probaretur, per ea, quæ refert Brun. tract. de cess. bon. q. 6. 4. quæst. princip. num. 1. & sub num. 7. tom. 3. par. 2. fol. 184. vtique hæres, non confessio inuentario, iuste condemnaretur ad integrum, sed in foro poenitentiali non teneatur ultra vires hæreditarias, Brun. d. q. 6. num. 10. in fine, & nu. 11. siue esset præsumptio iuris, siue præsumptio iuris, & de iure: verum an præfata ratio sit vera, vide text. in S. si vero non fecerit inuentarium. Auth. de hæred. & falc.

89 Quinto dicitur iniusta, quando sententia non est lata ex lege præsumente, sed ex lege disponente, expressa causa, quæ cesset in casu sententiæ, quia tunc eo casu sententia in foro interiori est indistinctè iniusta; at in foro exteriori non esset iniusta, nisi judicialiter constaret, quod cessat ratio, Abb. in loco, supra proximè citato.

Exemplifica hunc quintum modum in sententia lata, contra repetentem mutuum à filiofamilias; nam licet Senatusc. Macedon. ad obuiandum, ne filius procuret, seu anhelet ad mortem patris, deneget mutuatori actionem, seu filio mutuatario det exceptionem, l. 1. ff. ad Senatusc. maced. tamen filius familias, cui quis mutuauerit propter charitatem, vt puta, quia viderit eum in aliquo periculo, propter quod indigebat pecunia, seu mutuauerit ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusasset, tenetur in foro conscientiæ restituere, vt latè explicant Ant.

de Butr. in d. cap. quia plerique. sub num. 7.
ibi, ex hoc patet. & num. 8. & latius Abb. nu. 88
26. & 27. q. 8. & Mant. de tac. & ambig. con-
uent. lib. 8. tit. 7. num. 33. & seqq. tom. 1. &
dixi latius supra q. 1. num. 532.

Quinimo isto casu, & multis alijs casibus,
non solum filium familias teneri in foro con-
scientiae, sed etiam in foro exteriori, proba-
ta qualitate mutui, quia in illis casibus Se-
natus consultum macedonianum non habeat
locum, scribunt Molin. de iust. 10. 2. de con-
tract. disput. 301. in casu octauo, & cas. 1. &
seqq. vers. in seqq. col. 220. & 221. vbi enu-
merat alios nouem casus, & Mantic. d. tit. 7.
num. 16. & seqq. vbi per viam restrictionum
ponit alios viginti duos casus.

Quare extra hos casus procedit, quod in
d. cap. quia plerique. scribunt simpliciter In-
noc. sub num. 3. vers. quidam tamen dicunt.
Io. Andr. sub num. 4. ibi, quid in eo qui tu-
tus est. & Petr. de Anch. num. 11. q. 4. dum
scribunt, quod exceptio macedoniana non
est inducta solum in odium mutuatoris, sed
propter bonum publicum, ut euitentur mor-
tes parentum, & quod propterea nec in foro
conscientiae filius familias tenetur restituere.

Contra hunc modum urgent, quæ scripsi
supra q. 1. sub num. 510. in 1. limit.

90 Sexto diceretur iniusta, quando causa
quamvis in lege non sit expressa, posset vni-
ca tantum reddi, quia tunc haberetur pro
expressa, & ideo conclusionem est idem
prosperus, quod in præcedenti, Abb. vbi sup.
quem & alios citavi supra q. 1. nu. 515. vers.
limitatio.

Secus quando causa non est expre-
sa, & potest non vnicarum tantum reddi, sed
multiplex, quia isto casu non posset dici,
quod causa cessaret, ideoq; sententia rema-
neret iusta in utroque foro, per ea, quæ dixi
d. num. 515. & 514. in 3. limit.

91 Restringe eandem conclusionem, eiusq;
illationes, positas sup. nu. 60. & seqq. prout
erunt applicabiles, ut quoties is, qui resti-
tuere debet, aliquid commutatiuè, & utili-
ter dederit, non teneatur restituere, nisi sibi
commutatum reddatur.

Infero, probando, & extendendo, quod
si quis sit iuste condemnatus ad restituendū
id, quod furto alicui subtraxit, & iste
condemnatus in rei veritate debeat tantum
dem consequi ab eodem, cui ideo furatus
sit, & quia aliter ab eo consequi non potest,
cum sibi deficiat probatio, non tenetur re-

stituere, nec aliter parere sententia in foro
interiori; licet teneatur in foro fori, per ea,
quæ in his terminis respondet Medin. in suis
tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 11. col. 5. in
fine, & 6. vers. quid tamen. fol. 102. & 103.
& pro maiori huius illationis intelligentia
adde, quæ scripsi supra num. 2.

Et hæc satis de prima conclusione, posita
supra num. 60.

92 Secunda conclusio est, quod nemo tene-
tur alteri dare, seu restituere rem proptiam,
quam iuste possidet, ut latè, & efficaciter pa-
tet ex seqq. extensionibus.

Declara hanc conclusionem, vt res pro-
pria dicatur illa, quam habuit cum legitimo
consensu veri domini sine dolo, & sine frau-
de, quia per consensum transferuntur res, &
earum dominia, l. 9. qua ratione. §. hæ quo-
que ff. de acquir. rer. dom. & §. per traditio-
nem. Inst. de ter. diuis. imò, ut dicitur in d.
§. hæ quoque nihil tam conueniens natura-
li æquitati, quam voluntatem domini vo-
lentis, rem suam in alium transferri, ratam
haberi; quod notat etiam Io. Andr. in cap.
possessor. sub num. 26. & sub num. 28. versus
finem, de reg. iur. in 6. quare generaliter con-
sensu fiunt obligationes, l. 2. consensu. ff. de
act. & oblig. & ideo potest quis à rei suæ do-
mino cadere per voluntatem propriam, vt
per viam donationis, aut alterius contra-
ctus, Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb.
restit. q. 1. vers. potest tertio col. antepenult.
fol. 10. & nullus peccat, alienum detinendo,
si de consensu elicito ipsius domini deti-
neat, Medin. d. tit. de reb. restit. q. 2. vers. se-
cundo nullus. col. 2. & vers. tertio quia. col.
5. fol. 13. vbi declarat.

93 Extende primo, probando eandem de-
clarationem, vt procedat etiam si is, qui
eam habuit, esset ex culpa, & delicto pro-
prio incapax acquisitionis; vt puta, quia sit
perpetuus hostis, & inimicus fidei, quia iste,
si non esset mortuus in fide, posset tuta con-
sciëtia retinere; sed quia mortuo stultè dare-
tur medicina; ideo frustra de hoc querimus:
si verò non est infidelis, sed est hostis Reip.
tunc pro foro exteriori consule, quæ scripsi
in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num.
1068. & seqq. usque ad num. 1097. vbi egi-
an possit acquirere: in foro autem interiori
crederem, quod nō teneatur restituere, quia
ius humanum facit eum incapacem, vt non
possit agere iudicialiter, & in foro conten-
tioso cogatur relaxare, sed non præcipit,
quod

quod ex se, & non coactus restituat, seu relaxet, siquidem illa retentio est iuris naturalis, quod in hac parte sibi ademptum non est; & possunt hæc duo simul stare, quod ego sim incapax acquisitionis ciuilis, & capax acquisitionis naturalis; cui ius ciuile non vult, nec potest derogare; item aliud est, quod ego non possim acquirere, & aliud, quod ego teneam restituere; quare, imò à fortiori, etiam ille, cui iste incapax daret, bona conscientia posset retinere.

94 Restringe hanc extensionem, vt quamuis hostis Reip. possit tuta conscientia retinere, tamen qui ei, & fidei inimico promisisset dare, non solum in foro interiori, & exteriori non teneretur obseruare promissum, sed in utroque foro esset obligatus non obseruare, quia turpem rem promiserit, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 29.

95 Extende secundo, vt multò magis procedat, si esset incapax sine culpa, & sine dolo, vt puta, quia sit seruus, qui licet de iure ciuili sit incapax ad agendum, & ad retinendum in foro contentioso; tamen in foro interiori, & sic non contentioso est capax ad acquirendum, & retinendum naturaliter, ideoq; qui ei aliquid promiserit, erit in hoc foro naturaliter obligatus, ita vt, si non obseruet, peccet, & de tali promisso non possit facere eleemosynam, Innoc. in cap. 8. quia plerique. num. 1. in fine, Io. Andr. num. 3. in fine, Anch. sub num. 6. & declarant Ant. de Butr. sub num. 3. cas. 2. & Abb. nu. 9. & seqq. q. 2. de immun. eccles.

96 Infero ex hac extensione, quod si tu promiseris dare pecuniam Fratri ordinis Capuccinorum, duo oriuntur dubia: Primum, an tu in foro conscientiæ tenearis illi, volenti accipere, dare: & licet prima facie videatur forsan alicui, quod sic, ex quo peccaret Capuccinus, accipiendo contra regulam, & non tu, quia tu dares non in contemptu regulæ, sed pro obseruatione promissionis, ad quem te obligat ius naturale, sicut etiam in usura non peccat qui eam soluit, sed qui eam recipit, vt dixi supra q. 1. sub num. 407. vers. vna. tamen contrarium est verū, quia vel tu ignorabas incapacitatem Capuccini, & promissio, vti erronea, non tenet, vel sciebas, & tunc promissio, vti illicita, contemnenda est, sicut & is, qui promisit restituere depositum, non debet illud restituere in casibus, in quibus restitutio perniciosa operatur, vt dixi supra nu. 28. & 29. Secundum dubium est, an

Capuccinus, si accepisset, teneretur illi, qui dedit, restituere, & dico, quod non, sed in alios pios usus esset arbitrio superioris convertendum.

97 Extende tertio, vt multò magis procedat, quando is, cui datur, non est incapax acquisitionis, vt in præced. extensione, sed est solum inhabilis ad contrahendū cum suo damno, quia iste potest non solum retinere in foro conscientiæ, sed etiam in foro contentioso, idest, in foro exteriori: non enim deficit consensus transferentis dominium, cuius translationem lex humana non impedit, nisi respectu transferentis, quando careret pleno iudicio, non autem respectu eius, in quem transfertur; nam lex solet istis in aduersis subuenire, non in prosperè gestis obstarere.

98 Extende quarto, vt procedat etiam si habuerit propter illicitum, seu dishonestum exercitium, vt puta, quia sit meretrix, quæ etsi, fornicando, faciat contra legem naturæ, Sot. de iust. & iur. lib. 5. q. 3. art. 3. in respons. ad primum Martini argumentum, col. 3. fol. 434. paulò post initium, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1. concl. 1. vers. & confirmatur. fol. 125. & communiter omnes Theologi, & sic etiam contra ius diuinum, Clar. recept. sent. lib. 5. §. fornicatio. initio, & consequēter est peccatum mortale, ita vt, qui assereret contrarium, esset hæreticus, Sot. & Mich. Sal. in locis, sup. citatis, & Clar. d. §. fornicatio. initio, & §. hæresis. paulò post initium; &, quod fornicatio sit peccatum mortale, lege non solum humana, sed diuina, & naturali prohibitum, articulo de more suo disputato, firmat Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 19. tamen meretrix potest in conscientia, & in foro fori retinere, quod ex meretricio acquisiuit: similiter mathematicus, licet dolo, vel fraude, & suasionibus aliquem induxit ad sibi credendum, tamen non tenetur restituere, nec in foro exteriori, neque in foro interiori, Innoc. in cap. 8. quia plerique. num. 2. vers. si autem. quem ibidem sequuntur Io. Andr. num. 4. Ant. de Butr. num. 5. versus finem, & num. 6. Anch. sub num. 12. q. 5. ibi, si autem ex negotiatione. & Abb. in 3. q. num. 12. & 13. & communiter omnes, de immun. eccles. dicens, quod si meretrix, vel mathematicus dolo, fraude, & suasionibus aliquem induxit ad sibi credendum, & hic suasionibus inductus, pecuniam dedit, non compe-

competit ei repetitio , cum vtrōbique versetur turpitudo , in qua potior est causa possidentis, & subdit, & cum sit hæc iusta pœnitentia , in foro pœnitentiali est seruanda ; quod expressius dicūt Ant.de Butr. & Abb. supracitati,dicendo,quòd neque in foro animæ isti tenentur restituere : esse tamen vtrique pœnitentiam in foro conscientiæ iniungendam, scribunt Io. Andr. & ijdem Ant.de Butr.& Abb. supracitati; & quòd ei,qui dedit meretrici propter actum venereum meretricalem , denegetur repetitio , & restitutio, latè firmant Medin.in suis tract. tom. 2. tit.de reb.restit.q.20.col.4.vers. si vero turpitudo. & seqq. fol. 154. in fine, & seqq. & largius Sot.de iust.& iur.lib.4.q.7.art. 1. in respons. ad secundum argumentum , col. 7. ibi , quapropter mulier . fol. 369. & Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.q.62.art.5. controu.4. initio,& concl. 1. per totam, fol. 241.& 242. & Addit. ad Abb.in d.cap.8.quia plerique . sub num. 13.in verbo, meretrici. & hanc esse tam Iurisconsultorum,quàm Canonistarum, & Theologorum communem opinionem , testatur , sed non sequitur , Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 34. vers. dico quartu . & testatur, & sequitur Io. Azor.de instit. moral. par. 3.lib.4.tit.de restit. cap. 21. q.1. vers. difficultas. & seqq. col. 290. & probatur ex textu in l.4. idem etsi . ff. de condic. ob turp. caus. in illis verbis : sed quod meretrici datur , repeti non potest,&c. sed noua ratione, non ea,quia vtriusque turpitudo versatur , sed solius dantis : illa enim turpiter facaret, quòd sit meretrix , sed non turpiter acciperet, cum sit meretrix . & in huius extensionis sententiam , loquendo de dato meretrici, profectò iuit Couar. in cap.4.peccatum. par. 2. §.2. sub num. 1. & seqq. de reg. iur.in 6. tom. 1. fol. 616. consideratis rationibus, quibus latè disputat, & firmat, meretricem posse in foro exteriori agere ad mercedem fornicationis promissam,vel non promissam, & apertius Io. Azor. d.cap. 21. q.2. vers.cæterum. dicens , quòd is , qui propter fornicationem commissam cum meretrice promisit ei mercedem,tenetur ei eam solvere in conscientia .

Contraria opinio , nempè, quòd tam mathematicus, & meretrix, quàm aliis quiuis, cui turpiter detur , debeat restituere tam in foro interiori , quàm in foro exteriori , suadetur hoc vnico argumento , quia pro opere peccaminoso, idest, criminoso, seu quod ha-

bet turpem causam , non est licitum pretium accipere , nec acceptum retinere ; quare quicquid est acquisitum per actum peccaminosum, debet restitui , vt argumentatur Medin.d.q.20.initio, & vers. vniuersalius . fol. 153. & 154.col.1. & vers. aliquando mihi . fol. 156. & ita, nisi ex alia circumstantia possit hoc lucrum iustificari , firmat, vers.& per hæc. col. 10. fol. 157. & huius argumenti , seu conclusionis veritas ex multis patet exemplis .

Primo , quia quod datur iudici, vt iustum ferat sententiam , & testi , vt verum perhibeat testimonium , debet secundum ius canonicum restitui, cap. 15.non sanè . 14. q.5. Medin.d.q.20. vers.in oppositum . fol. 154. col.2. & q.25. col. 10. vers. iam de eo . fol. 197.initio , Nauar.in man. confess. cap. 17. num. 33. vers. tertio principaliter. & sub nu. 34. vers. septimo quod. in fine, Mich.Sal.ad D.Thom.2.2.q.62.art.5. controu.3. concl. 3. vers. tertio si iudex . fol. 238. Io.Azor. de instit.moral.par.3.lib.4.tit.de restit. cap. 21. q.4. vers. quæres an aliqua. in fine , col. 295. & hanc opinionem,vt danti detur repetitio, esse frequentiori iudicio, & interpretum suffragio receptam , scribit , eam declarando , Couar. in cap.4. peccatum. par. 2. §.3. sub num. 1.& 2. de reg.iur.in 6. tom. 1. fol. 620. & 621. Sed an hæc opinio procedat etiam secundum ius ciuale est valde dubium ex obscurissimo textu in l.2.ff.de condic. ob turp. caus. ibi ; sed & si dedi , vt secundum me in bona causa iudex pronunciaret , est quidem relatum , conditioni locum esse : sed hic quoque crimen contrahit : iudicem enim corrumperere videtur ; & ita pridem Imperator noster constituit, litem eum perdere .

Contra hoc exemplum , & pro eius intelligentia, & explicatione dictæ l.2. vide omnino infra num. 107. vers.ad primum .

Secundo , quia quod datur iudici , vt iustum ferat sententiam , & testi, vt falsum dicat testimonium , debet restitui, Medin. in suis tract. tom.2. tit. de reb. restit. q.20.initio , & in resp. ad rationes, vers.ad primam. fol. 159.col.1.in fine, & hanc esse opinionem communem inter Theologos , Iureconsultos, & Canonistas bis testatur, licet eam non sequatur,Io. Azor.d.cap. 21. q.4.& vers. quæres an aliqua. col. 295. nam cum iudicia , & testimonia,(quæ nec iusta,nec vera vendenda sint) iniqua , & falsa venduntur , multò sceleratius vtique pecunia sumitur , d.cap. non

non sanè. 14.q.5. si ergo restitui debet pre-
tium sententiae iustæ, & testimonij veri, quia
illius acceptio fuit peccatum, multò magis
restitui debet pretiū sententiæ iniuste, & testi-
monij non veri, cum illius acceptio sit maius
peccatum, vt argumentatur etiā Medin. ead.
q. 20.col. 7.in fine, vers. secundo idē, fol. 156.

Contra hanc secundam, reiecta commu-
ni opinione, tenent Mich. Sal. ad D. Thom.
d.art. 5. controv. 3. conclus. 5. versus finem,
vers. quod si quæras. fol. 240. col. 2. initio, &
Io. Azor. d.q. 4. vers. quæres an aliqua. & be-
nè probatur ex l. 3. ubi autem & dantis, &
accipientis turpitudo versatur, non posse repeti
dicimus, veluti si pecunia detur ut male iudi-
cetur. ff. de condic. ob turp. caus. & l. seq.
idem et si. ff. eod. item si dederit fur, ne prode-
retur, quoniam vtriusque turpitudo versatur,
repetitio cessat.

Ratio diuersitatis inter primum, & secun-
dum casum potest esse varia, & ideo multi-
plex: Prima enim ratio est, quia cum sen-
tentia sit de sui natura, & ex iustitia, exq; pro-
prio officio iustè, & gratis ferenda, non est
vendibilis, neque pretio æstimabilis: at sen-
tentia iniusta, et si nullo modo ferenda sit,
si tamen feratur, est actio pretio æstimabilis,
& vendibilis secundum se; ita Mich. Sal. su-
pra proximè citatus. Secunda, quia iudex
pro sententijs iustè ferendis habet stipedium
publicum; & ideo si quid aliud accipit, te-
netur restituere, quia pro obeundo officio
suo duplex exigeret stipendum; at pro sen-
tentij iustè ferendis nō habet stipendum
publicum: ergo, licet, iniustum ferendo sen-
tentiam, grauissimè peccet, tamen non iniustè
accipit pretium, sibi oblatum; ita Ioan.
Azor. in loco supra proximè citato. Tertia
ratio est, quia in primo casu versatur solum
turpitudo ex parte recipientis, nempe, iudi-
cis, & testis, quia accipiunt pretium eius,
quod gratis dare debent, ideoque est inuen-
dibile, non autem ex parte dantis; meritò
qui turpiter, & peccaminosè recipit, debet
puniri, vt restituat, & qui non turpiter de-
dit, cum dederit in causam bonam, non de-
bet puniri in eo, vt ei denegetur repetitio:
at in secundo casu versatur etiam turpitudo
dantis, & sic turpitudo vtriusque, vt in d. l.
3. & in pari causa possessoris conditio melior
habetur, l. 2. cum te. C. de condic. ob turp.
caus. ita sentire communiter Doct. scribit
Medin. d.q. 20.col. 4. vers. in oppositum. fol.
154. licet ipse aliam excogitet generalem.

in hac materia rationem, de qua nos infra-
num. 105. vers. confirmatur secundo. hæc q;
tertia ratio est non solum cōmuni, sed aper-
ta iuris distinctione probatur; nam quod da-
tur ob turpem causam, aut datur, vt dantis
sit turpitudo, non accipientis: aut vt acci-
pientis duntaxat, non etiam dantis: aut vt
vtriusque. l. 1. ff. de condic. ob turp. caus. Si
in primo casu, vt dantis sit turpitudo, non
accipientis, tunc non datur repetitio, & ideo
quod quis turpiter dat meretrici, & meretrix
non turpiter recipit, non tenetur restituere;
meretrix namque turpiter agit in eo, quod
efficitur meretrix, sed postquam est mere-
trix, non turpiter agit, recipiendo merce-
dem, d.l. 4. cuius verba retuli sup. sub nu. 98.
in extensione: imò, si turpiter danti non da-
tur repetitio, etiam quando interuenit turpi-
tudo recipientis, cum in pari causa melior
sit conditio possidentis, vt dixi hic supra,
quantò minus ei dari debet, quando deest
turpitudo recipientis? Si in secundo casu,
quando accipientis tantum versatur turpi-
tudo, tunc datur repetitio, vt in primo exem-
pli, quādo iudex, seu testis pro iustè obeun-
do eorum officio accipiunt, & dicitur versa-
ri turpitudo ex parte recipientis, quādo ac-
cipit aliquid, vt faciat id, quod sine illo da-
to tenetur facere, Nauar. in man. confessar.
cap. 17. sub n. 34. vers. secūdo infertur. & ra-
tio est eidens, quia à cōtraria ratione, si dās
turpiter, non repetit ab eo, qui turpiter non
recipit: ergo à contrario, dans non turpiter,
repetit ab eo, qui turpiter recepit: Si in tertio
casu, quādo vtriusque versatur turpitudo; tūc
denegatur repetitio, quia, vt dixi, in pari cau-
sa melior est conditio possidentis, sicut dene-
garetur actio ob eandem regulam, quod in
pari turpitudinis causa melior sit condito
possidentis; & ideo iudex, cui ob sententiam
iniustè latam esset quid promissum, non
posset agere, quia sunt in pari causa turpitu-
dinis; Couar. in cap. 4. peccatum. par. 2. §. 2.
sub num. 6. vers. secunda in pari. de reg. iur.
in 6. tom. 1. fol. 618. & quod acceptum iniustè
de voluntate dantis, ita vt veretur ex
vtraque parte turpitudo, non sit restituen-
dum, saltem regulariter de præcepto, pro-
bat Nauar. d. cap. 17. sub num. 30. vers. se-
cundo dico. & vers. seqq.

Tertio, quia si Aduocato datur, vt iniustum
præbeat patrocinium, seu Iurisconsul-
to, vt iniustum subscribat consilium, potest
qui dedit, ei dicere: redde quod accepisti,

quando in iudicio contra veritatem stetisti , 105
 iudicem fefellisti , & iniustam causam vicisti ,
 & iustius sic ei dixerit , quām , si , redde ,
 diceret , illi , qui ex sui officij debito , iudi-
 ce iubente , hominem vinxit , & in iudicium
 adduxit , & , ne fageret , tenuit , D. August.
 in epist. 54. ad Macedonium: quare , si iustum
 est , vt minister iudicis restituat , quod acce-
 pit pro capiendo homine nefario , & carceri
 tradendo ; qui actus non fuit malus , sed iu-
 stus ; quantò iustius erit , vt aduocatus re-
 stituat , quæ accepit pro iniusto patrocinio ?
 nisi , inquit D. Augustinus , restituendum
 forte sit alienum , quod per furtum clancu-
 lum aufertur , & non , alienum , quod in ip-
 so foro , vbi peccata puniuntur , decepto iu-
 dice , & circumuentis legibus , obtinetur ?
 quare apertè dicit , pretium pro iniusto pa-
 trocinio , & pro iniqua sententia receptum ,
 esse restituendum ; nec à restitutione liberari
 in foro conscientiæ , quamuis leges actio-
 nem ad repetendum denegent , sic ex eo re-
 ferunt Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de
 reb. restit. q. 20. col. 7. in fine , vers. secundo
 idem . fol. 156. & breuius Mich. Sal. ad D.
 Thom. 2.3. q. 62. art. 5. controu. 3. concl. 5.
 vers. sed contra. & vers. respondeo. fol. 240.

104 Quarto , quia si quis dederit alicui , ne
 homicidium , aut aliam iniuriam committat ,
 vel vt ab alio malo opere desistat , & ille de-
 sistit , potest adhuc repetere , l. 2. vt puta . ff.
 de condic. ob turp. caus. & hanc esse com-
 munem opinionem in foro conscientiæ , te-
 statut Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4.
 tit. de restit. cap. 21. q. 6. col. 297. nam pro
 opere , ad quod quis de præcepto tenetur ,
 non est licitum aliquid recipere , Medin. d. q.
 20. col. 5. initio , vers. quarto idem . fol. 157.

Confirmatur primo idem argumentum ,
 adductum supra num. 99. vers. contraria .
 quia si actus vti peccaminosus , seu crimin-
 osus est illicitus , & ideo prohibitus à lege ;
 ergo vti peccaminosum , & criminosum erit
 etiam prohibitum iucrum ab illo procedens ,
 Medin. d. q. 20. col. 3. vers. vniuersalius . fol.
 154. quia sicut si radix sancta & rami , ad
 Rom. 11. num. 16. ita si radix mala , & rami
 erunt mali , nam , vt habetur Matth. 7. num.
 18. & Luc. 6. num. 43. arbor mala non potest
 bonos fructus facere ; quare & iniquitatis
 mercedem retineri non posse , argumento
 nobis est restitutio pretij , quam fecit Iudas ,
 vt considerat Medin. d. q. 20. vers. aliquando
 mihi , in fine , col. 7. fol. 156.

Confirmatur secundo , quia opus pecca-
 minosum non est venale , sicut neque venalis
 est res spiritualis ; hæc , quia excedit omnem
 valorem , & nullum pretium potest ei corre-
 spondere ; illud verò , quia nullius est valo-
 ris , sed omnino tanquam vile , & turpe fu-
 giendum , Medin. ead. q. 20. col. 7. vers. ali-
 quando mihi . fol. 156.

Confirmatur tertio , quia recipiens rem
 contra legis prohibitionem , non potest illam
 retinere cum bona conscientia , sed tenetur
 illam restituere , Gemin. in cap. vnicō. §. qui
 verò . num. 3. in fine , de cler. non resid. in 6.

Confirmatur quarto , quia si quid ex
 actu , nulliter gesto , seu contractu nullo ac-
 quiratur , illud in conscientia retineri non
 potest , per ea , quæ scripsi supra num. 68. &
 seqq. ergo multò minus retineri potest , quod
 acquiritur ex actu , qui est peior , quām actus
 nullus .

His non obstantibus , extensio posita sup.
 num. 98. est vera , & tenetur communiter
 tām in foro fori , quām in foro conscientiæ .

Ratio autem huius extensionis secun-
 dum Nauar. infra citatum , non est ea , quam
 ex lege ipsa retuli supra sub d. num. 98. vide-
 licet , quia meretrix turpiter faciat , eo , quod
 sit meretrix , non tamen turpiter accipiat ,
 cum sit meretrix ; siquidem hæc ratio pugnat
 contra seipsam , cum velit , meretricari esse
 turpe , & non esse turpe lucrum meretricium ;
 si enim turpe est , aliquem lucrum accipere ,
 vt homicidium committat , quia turpe est
 committere homicidium , non video , quo-
 modo lucrum meretricium non sit turpe , &
 sit turpe meretricari , Nauar. in man. confess.
 cap. 17. sub num. 34. vers. dico quarto .

Sed ratio est , quia acceptum de volunta-
 te dantis , ita vt ab vtraque parte admittatur
 turpitude , nulli est de præcepto restituen-
 dum , Nauar. d. cap. 17. sub num. 36. vers. se-
 cundum quod .

Verum licet motuum , quo Nauar. ratio-
 nem , ab ipsa lege expressam , impugnat , sic
 satis considerabile , ratio tamen , quam ipse
 postea adducit , non satisfacit , siquidem
 etiam in assassinio adest hinc inde turpitude ,
 & tamen datum vt committatur assassinum ,
 tuta conscientia non retinetur , per ea , quæ
 dixi infra sub num. 108. in fine .

Erit igitur meo iudicio probabilior ratio ,
 quam adduxi infra sub d. num. 108. ibi , ter-
 tius actus est .

Ad argumentum contrarium respondeo ,
 negan-

negando illud , quia actus meretricius est peccaminosus , & tamen lucrum potest in utroque foro retinere , vt ostendi supra num. 98.

107 Ad primum exemplum de pretio pro iusta sententia , & pro vero testimonio respondeo dupliciter : Primo dico , contrariam opinionem (nempè , quòd hodie secundum ius ciuile,iudex nō teneatur restituere) esse veriorē , quia , vt habetur in l. 2. ff. de condic. ob turp. caus. cuius verba retuli supra nu. 100. in primo exemplo , etiā qui dat pro iustitia , crimen committit , cum videatur corrumpere iudicem ; alias enim , si in foro fori daretur iste casus , vt liceret dare pro obtinenda iusta sententia , & ad redimendas indebitas vexationes , vtique , palliato isto casu , multæ fierēt corruptiones , cum quisque in propria causa iniquus sit iudex , cuique enim videretur habere ius certum , Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 1. col. 12. initio , fol. 372. initio , & sic , data vtriusque turpitudine , iudex secundum opinionem eorum , quos citaui supra sub num. 101. & 102. contra secundum exemplum , non tenetur restituere . Secundo respondeo , quòd etsi admitteremus opinionem , quòd iudex teneretur restituere , tamen dico , diuersam esse rationem inter datum meretrici , & datum iudici , ita vt meretrix non teneatur restituere , & teneatur restituere iudex : ratio enim , quare meretrix non teneatur restituere , omissa ea , quam adducit l. 4. ff. de condic. ob turp. caus. cuius verba retuli supra sub num. 98. in extensione , est , quia , in dato meretrici concurrit libera voluntas , & spontaneus consensus dantis , qui colligitur ex iustitia commutativa , sicut innuit Medin. d. q. 20. col. 9. vers. dixi notanter. fol. 157. at in dato iudici pro iustitia non concurrit libera voluntas , sed potius furtum , & rapina , vt ex D. August. refert Mich. Sall. ad D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 5. controv. 3. concl. 3. vers. tertio si iudex. fol. 238. nam si actus iustitiae debetur litigatori , tanquam quid proprium , & ideo sine pretio , vt dixi supra num. 102. & ipse soluit pretium eius , quod est suum , seu sibi sine pretio debetur ; alterum necessarium sequitur , vel quòd ignoranter soluerit ; & sic pér errorem , vel compulsus ad redimendas indebitas vexationes ; nemo enim vult iatate suum ; non sic est in meretrice , quia copia & locatio eius corporis non est scortatoris , & non debetur sine pretio .
108 Ad secundum exemplum , de pretio dato

pro iniusta sententia , seu pro falso testimoniō , priusquam respondeam præmitto , articulum esse admodum difficultem , & Theologos , & Iureconsultos , qui de eo scripsierunt , difficultati non satisfecisse ; nam admittunt , vt dixi supra sub num. 98. in extens. meretricem posse tuta conscientia retinere aquisitum ex meretricio , & postea se ita torquent , disputando , an acquisita ex actu , qui ex suo genere sit malus , possint tuta conscientia retineri , vt ad quasdam ambiguas , & verbales configuant distinctiones , prout configiunt Couar. in cap. 4. peccatum. par. 2. §. 2. sub num. 6. & 7. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 618. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 2 1. q. 4. & seqq. col. 294. hoc præmisso , respondeo dupliciter . Primo dico , attento præsertim iure ciuili , veriorem esse opinionem cōtra communem , nempe , quòd non teneatur restituere ; sic clarè disponente lege ciuili , cuius verba in eadem opinione contraria retuli supra sub num. 101. hæcque responsio procedit , etiam si datio sit iniusta ex parte vtriusque , dantis scilicet , & recipientis , habeatq; annexam iniuriam contra iustitiam , vt in ipso secundo exemplo , in quo iudex in iniuriā alterius profert sententiam contra iustitiam ; & tamen non tenetur restituere , quicquid , distinguendo , aliter dixerit Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 1. col. 10. in fine , & col. 11. initio , fol. 371. col. 1. in fine , & col. 2. initio . Secundo , admissa communī opinione , à qua , saltem in foro conscientiæ , recedendum nō est propter auctoritatem S. Augustini , citatam sup. n. 103. respondeo , distinguēdo quadruplicem actum peccaminosum , seu criminosum : Primus est , qui ex suo genere , seu intrinseca natura non est malus , sed solū , quia est à lege humana prohibitus ad evitandas mali occasions , quæ ex illo solent procedere ; cuiusmodi est ludus : & in eiusmodi actu dico , acquisitum ex eo non esse restituendum , nisi prout declarauit sup. q. 1. num. 116. Secundus actus est , qui ex suo genere est malus , qualis est fornicatio ; sed tamen lex humana eam tolerat ad evitandum peiorem actum , vt dixi supra ampl. 10. num. 46. & in isto actu dico , quòd acquisitum ex eo potest retineri tam in foro fori , quam in foro poli . Tertius actus est , qui ex suo genere est malus , & à lege humana propterea prohibitus , & nunquam toleratur , sed punitur ; qualis est corruptela iustitiae , homicidiū , assassinum , vulnera , & similia : & in isto

actu , in quo extat opinionum conflictus, de quo Couar.in cap. peccatum. par. 2. §. 2. sub num. 6. & 7. de reg. iur. in 6. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 21. q. 4. col. 294. ego, sequendo opinionem communem, dicerem, locum omnino esse restitutione; & ratio differentiae, quare in hoc tertio actu sit facienda restitutio, seu sit prohibita acquisitio, & non in secundo actu præcedenti, est, quia acquisitio ex sui natura, & suppositis legitimis consensibus, dantis scilicet, & recipientis, non prohibetur; etiam si procedat ex actu peccaminoso; sed solum prohibetur à iurisprudentia, veluti acquisitio sit causa ipsius actus peccaminosi, quia, cessante actus peccaminosi mercede, & lucro, quo improbi ad illud committendum ducuntur, vtique cessabunt etiam mercenarij, & mandatarij illius actus peccaminosi; quare, cum iste actus peccaminosus non fiat, nisi ob lucri, & pretij auiditatem, debet legislator, volens omnino impedire, & nullatenus tolerare illum actum, remouere etiam omnino causam, quia, remota causa, remouetur effectus: non sic est in actu peccaminoso, quem iurisprudentia tolerat, quia in eo remanet in primis permisso acquisitionis ex sui natura, vt dixi, & permissionem iurisprudentia non perimit, quia, cum permittat actum, non censetur prohibere ea, quibus ad illū actum deuenitur, imò censetur ea permettere, l. 56. ad rem mobilem. ff. de procur. latè Caroc. in cap. cum quid prohibetur. par. 2. per totam, de regul. iur. in 6. inter Repet. tom. 5. fol. 462. & aduerte, quòd in hac distinctione suppono, quòd lex positiva potest ex iusta causa impedire acquisitionem dominij; & quia lex est contractus cum subditis, vt dixi infra num. 138. ideo ex consensu subditorum impeditur. Quartus actus (quem addo) est, qui ex se est iustus, & licitus, ideoq; à lege est approbatus; sed tamen sit peccaminosus in eo, qui illum facit contra conscientiam, existimans esse actum illicitum, & peccaminosum: & in isto actu dico, acquisitum ex illo actu, non esse restituendum, per ea, quæ scripsi supra num. 59. in fine, vers. declaro.

Ad tertium respondeo, vt ad præcedens.

109 Ad quartum respondeo dupliciter. Primo dico, illam communem opinionem admitti cū hac distinctione: aut enim pretium datur alicui, ne is peccet contra iustitiam in

damnu ipsius dantis, vt puta, ne occidat, ne vulneret, aut ne spoliet ipsum, qui dat; prout dari solet publicis latronibus, & viarum grassatoribus: & tunc nulli dubium, quòd tenetur iure vtriusque fori restituere; quia committit furtū, & rapinam: aut datur premium, ne peccet contra iustitiam in damnum alterius, vt puta, Titius dat Caio, ne occidat Seium, & tunc probabilis est opinio, vt Caïus non teneatur restituere, Sot. de iustit. & iur. lib. 4. q. 7. art. 1. col. 10. versus finem, ibi, aut inquam vitium. fol. 371. col. 1. quem sequitur Io. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 21. q. 6. in 2. opin. col. 297. aut datur, ne peccet, non contra iustitiam, sed neque contra alias virtutes; & tunc vide opin. de quibus Azor. d. q. 6. vers. secundo dicendum. Secundo, admissa communi opinione pro vera indistincte, quòd datum debeat restitui, respondeo, rationem esse, quia dans isto casu, non dat libera voluntate, si quidem dat metu euitandi malum; siue illud malum respiciat personam propriam datis, siue alterius personæ, ipsi danti sanguine coniunctæ, siue alterius non coniuncti, quia, etsi, quando respicit personas, sibi sanguine non coniunctas, non videatur metus, cadens in constantem virum; tamen est metus iustus, pius, & adeo viro christiano dignus, vt haberi debeat pro metu, cadente etiam in constantissimum virum.

Ad primam confirmationem patet solutio ex his, quæ dixi supra in responsione ad secundum exemplum.

Ad secundam confirmationem, sumptam ex dicto Medinæ, respondet Sot. tractat. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 1. col. 6. vers. ad secundum. fol. 369. vbi, non multum honorificè citando, vocans eum quendam nuperimum auctorem Complutensem, scribit, spiritualia esse inuendibilia, non ea ratione, quam adducit Medin. nempe, quia excedant omnem valorem bonorum temporalium; si quidem, inquit Sot. quoad humanos usus attinet, homines illa emerent quanto possent pretio, sed esse inuendibilia, quia gratis sunt diuinitus collata; & similiter negat, actum peccaminosum esse inuendibilem, hancq; negationem probat in actu meretricio, qui, vt inquit, adeo est pretio estimabilis, vt Resp. miseris foeminis quandoque certum taxet premium; similiter contra Medin. in hoc latè firmat Couar. in cap. 4. peccatum. par. 2. §. 2. sub num. 1. & particulari-

ter num. 3. in fine, vers. item. & num. 4. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 618. & probari potest etiam ex pretio, dato iudici, vt iniustam ferat sententiam.

Ad tertiam respondeo, quod potest procedere, quando non adest hinc inde turpudo, sed solum ex parte recipientis. 113

Secundo respondeo, negando hoc argumentum, & veritas huius negationis patet ex his, quæ scripsi supra q. 1. sub num. 541.

Ad quartam confirmationem dico in primis, magnam esse controversiam, an translatum per contractum nullum, possit tutam conscientia retineri, de qua controversia scripsi supra nu. 68. & seqq. & infra nu. 120. & seqq. & dato, quod non possit, id erit verum, quia deficit consensus dantis, non autem quia actus sit nullus: at in actu peccaminoso, quamuis peior sit, supponimus adesse mutuum consensum, qui præcipuum obtinet locum ad transferenda bona.

Retenta igitur extensione, posita supra num. 98.

Infero confirmando eandem, quod vincens in ludo prohibito, non tenetur restituere antequam sit condemnatus per iudicis sententiam, testibus his, quos secutus sum supra q. 1. num. 116. vers. intellige secundo.

Restringe tamen eandem extensionem, loquentem de lucro meretricio, seu mathematico, acquisito dolosè, & per fraudem, ut procedat, si dolus, vel fraus non excesserit terminos ordinarios; nam certum est, quod meretrices, & mathematici utuntur suasionibus, & illecebris, & istæ tolerantur, quasi naturalia huius exercitij, ut de quodam do-
lo in ludo scripsi supra ampl. 10. num. 12. se-
cū si dolus, & fraus excessissent modum;
quia tunc meretrix, & mathematicus tene-
rentur restituere, & ita intelligas Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. rest. q. 20. col. 13. 114
vers. sequitur amplius. fol. 159. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 21. q. 3. col. 292. dum scribunt, extorta dolosè, & per fraudem esse restituenda.

Extende quinto, ut procedat etiam si in consensu insit error iuris, & error excludat consensum, quia nihilominus remanet consensus facti, qui sufficit, si in eo non sit error; quare si legatarius ab herede, non errante in facto, receperit integrum legatum sine detractione falcidiæ, potest illud retinere, & falcidiam heredi non restituere, Innoc. in cap. 8. quia plerique. sub num. 2. Io. Andr.

sub num. 4. Ant. de Butr. num. 10. Anch. nu. 6. versus finem, & Abb. num. 15. & seqq. de de immunit. eccles. & dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 7. num. 638.

Secus si heres errasset in facto, quia iste error omnino consensum excluderet, ideoq; legatarius ex iure utriusque fori teneretur restituere falcidiam, Ioan. Andr. Ant. de Butr. Anch. & Abb. supra citati: & dicitur error in facto, quando heres soluit integrum legatum, credens, in hereditate remanere adhuc falcidiam, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 23. col. antep. vers. inde patet. fol. 184. error vero iuris dicitur, quando sciebat, in hereditate falcidiam non remanere, sed ignorabat, se posse illam sibi retinere.

Ratio est, quia error iuris isto casu est iustus, & ideo non consideratur, & cum non consideretur, non excludit consensum.

Declara hanc extensionem in prima parte, ut procedat in foro fori; sed in foro conscientiae distingue aliter: aut enim testator, qui legavit, erat iurisperitus, seu alias sciebat, ex legato detrahi falcidiæ; & tunc legatarius, cui heres soluit integrum legatum, tenetur heredi in foro conscientiae falcidiam restituere, licet in foro fori, si heres soluerit per ignorantiam iuris, non teneatur: aut testator erat rusticus, seu aliter ignarus huius falcidiæ; & tunc, si heres integrum soluit legatum, legatarius falcidiam restituere non tenetur: ratio in primo casu est, quia voluntas testatoris presumitur talis, qualis est dispositio iuris, quam sciebat, & non prohibuit falcidiæ detractionem, quam prohibere potuisse: in secundo vero casu, voluntas testatoris non presumitur talis, qualis est dispositio iuris, quia non potuit velle id, quod ignorauit, Medin. in loco supra proxime citato.

Extende sexto, ut procedat etiam si consensus non sit solemniter expressus in actu, ex quo acquisitio rei debet procedere, ideoque ille actus sit nullus; quia isto casu, licet obligatus ex tali actu non teneatur in foro exteriori tradere, & si dederit, teneatur qui habuit, restituere, tamen in foro interiori, nullitate hac non attenta, obligatus teneatur tradere, & qui habuit, non tenetur restituere.

Confirmatur haec extensio, quia qui habuit rem, interueniente consensu illorum, qui habent consentire, est tutus in foro conscientiae, quamuis illam habuerit sine debita solemnitate, Abb. in cap. 1. in fine, num. 19.

de in integr. restit. & Felyn. in cap. 1. fallen. 6. num. 39. de constit. hancq; confirmationem, ostendendo generaliter, & in multis casibus, quod forum conscientiae ligat, & validat actum, in quo est prætermissa forma, tradita à iure, dummodo non interueniat dolus, sequitur Franc. Niconit. in cap. quoniam contra. par. 1. num. 682. de probat. inter Repet. tom. 3. fol. 311.

Infero, probando hanc extensionem, quod quamvis haeres in foro exteriori non teneatur soluere legata, relictæ in testamento minus solemnii, tamen, quando ipse haeres certò sciat, hanc fuisse testatoris voluntatem, & consensum, ut prædicta legata soluerentur, tenebitur in foro conscientiae, & sic suppono, quod haeres isto casu succedere velit ab intestato, Abb. in cap. 8. quia plerique, sub num. 43. vers. hæc quæstio. de immun. eccles. & hanc esse magis communem opin. 116 testantur, sed non sequuntur Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. vers. quæstio præsens. col. 3. fol. 326. initio, & Couar. in cap. cum esses. sub num. 4. & 5. vers. sed est quæstio. in fine, de testam. fol. 54. tom. 1. Et, quod pro legato, relichto in minus solemnii voluntate, oriatur obligatio naturalis, scribit Abb. vbi sup. & Alex. in l. 58. nemo potest. sub nu. 23. vers. item in quantum. ff. de leg. 1. † Quinimò, quod legatarij, quibus relictæ sunt legata in testamento minus solemnii, possint in Curia Episcopali petere, & consequi dicta legata per denunciationem Euangelicam, dicit esse verum Ias. in l. cum quis, num. 14. vers. & etiam adde. C. de iur. & fact. ignor. & huius opinionis rationes habes infra num. 118. & sub num. 119. Et consequenter, cum haeres teneatur soluere, ut dixi, legatarius, si habuit, potest retinere, Alex. vbi sup. Item sequitur, quod sicut haeres tenetur in foro conscientiae soluere legata, ita etiam haeres ab intestato tenetur dimittere, seu restituere hæreditatem hæredi scripto in testamento minus solemnii, ut, argumentando, infert, sed non tenet Couar. d. num. 4. & quod haeres ex testamento, carente solemnitatibus iuris, & habens purum consensum testatoris, licet teneat in conscientia, cessante fraude, sequitur Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub nu. 40. de constit. & Franc. Niconit. in cap. quoniam contra. par. 1. num. 688. de probat. tom. 3. fol. 312. & disputata ad utramque partem quæstione, utrum testamentum, quod non habet iuris solemnitates, debeat in foro con-

scientiae obseruari; affirmatiuam, concordando cum hac illatione, testatur esse magis communem, veriorem, & tutiorem, seconde eam, Mantic. tract. de coniect. ultim. volunt. lib. 2. tit. 14. sub nu. 29. vers. ad contrarias. iuncto num. 9. & seqq. vbi citat eos, qui hanc sequuntur opinionem, adducit quatuor argumenta, & soluit contraria, licet ipse in fine illius tit. num. 30. hanc opinionem, & cætera, quæ in illa quæst. dixit, subiiciat sapientissimorum Theologorum iudicio, à quo profitetur, neque in hoc, neque in quouis alio articulo dissentire; & ab hac affirmatiua in effectu non discessit Medin. quem retuli, & secutus sum infra sub num. 119. vers. sub infero. dum tenet, legatarium isto casu posse sine vitio usurpare hæredi, adiecto hoc pacto, quod haeres ei soluat legatum.

Contrariam opinionem negatiuam, nempe, quod ex testamento minus solemnii (exceptis legatis pijs) non oriatur obligatio naturalis, quæ pariat ius excipiendi, & quandoque officium iudicis; imò voluntatem non solemnem haberi pro nulla, & quod est nullum, non parere naturalem obligationem, sequitur Bal. in l. 1. in 2. leet. num. 55. vers. vnde ego dico. C. de sacrosanct. eccl. & ita in effectu sub varijs declarationibus, & multipli ci distinctione tenet etiam in l. post diuisi onem. in fine, num. 5. & in l. cum quis. nu. 6. vers. decimo & ultimo. C. de iur. & fact. ign. & hanc opin. quod haeres, nec in foro conscientiae teneatur soluere legata, relictæ in testamento minus solemnii, quamvis sciat, voluntatem defuncti fuisse, ut soluerentur, minusvè cum, qui successit ab intestato, teneri restituere hæreditatem illi, qui in minus solemnii testamento fuit scriptus haeres, tenet Sot. dicta q. 5. art. 3. col. 3. in fine, & col. 4. ibi, vbi frater meus liberis. fol. 326. & ita post longam concertationem concludit in effectu Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 4. tit. an per contractum, &c. conclus. vlt. fol. 149. & esse veriorem opinionem scribit Couar. d. cap. cum esses. num. 5. in fine, vers. ego verò. & seqq. de testam. & rursus hanc eadem contrariam opinionem sequitur in cap. peccatum. par. 2. §. 3. num. 8. in fine, vers. nono hinc. & num. 9. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 623. hancq; Couarruiæ opinionem, si casus continget, facile posse sustineri, scribit Clar. recept. sent. lib. 3. §. testamentum. vers. secundo infertur. & aperte

eam

eam sequitur quoad hæreditatem, relictam in testamento minus solemnem, dicens, eam neque naturaliter deberi hæredi scripto, idem Clar. d. q. 90. vers. ceterum. quod aper-
tius scribit postea, vers. sed quid si, dicens, 118
quod hæres, scriptus in testamento minus so-
lemnem, & possidens hæreditatem, nulla etiā sibi
molestia ab hærede, cui debetur ab intestato,
illata, adhuc non est tutus in conscientia,
quia sibi neque ciuiliter, neque naturaliter
debetur, sed hæc inconstanter, & formido-
losè scribit; & qui hanc secuti sint opinio-
nem, refert etiam Mantic. d. tit. 14. sub nu. 8.
vers. octauo & vltimo. pro qua etiam colli-
git septem argumenta, nu. 1. & seqq. & cum
hac contraria opinione, quod testamentum,
siue contractus sit nullus, non solum in foro
exteriori, sed etiam in foro interiori, transit
Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 6. tit. de
contract. cap. 9. q. 1. vers. tota igitur. iuncto
vers. præcedenti, sunt autem. col. 514. & 513.

Confirmatur hæc contraria opinio, quia
& is, qui rem habet ex contractu, qui ipso
iure sit nullus, tenetur eam restituere, vt di-
xi supra num. 68. illat. 2. ergo etiam legata-
rius, qui ex testamento nullo legatum con-
secutus esset, teneretur illud restituere etiam
in foro conscientiae: ergo multò minus hæres
tenetur illud soluere.

117 Retenta illatione, quæ est communis, &
vera.

Declara primo eam, vt hæres tunc dica-
tur certò scire, voluntatem testatoris fuisse,
quod legata soluerentur, quando ultra testa-
mentum fidei hæredis oretenus postea com-
misisset, vt solueret legata, vt videtur con-
siderasse Abb. in d. cap. quia plerique. nu. 43.
& multò magis, quando ei commisisset, vt,
non obstante nullitate, qua testamentum
laboraret, ea solueret: sed si hæres simpliciter
audiisset ab ipso testatore ante conditum
testamentum, quod volebat facere di-
cta legata; ego isto casu dubitarem, quia,
faciendo postea minus solemnne testamen-
tum, potuisset vel mutare voluntatem, vel
illam simulasse; siquidem quandoque testa-
tores ex diuersis causis coguntur simulare,
& aliud ore exprimere, quam habeant in-
corde; & proinde posset testator, vt succede-
ret proximior ab intestato, quem corde dili-
git, condere testamentum minus solemnne,
& in eo instituere extraneum, qui hæredita-
rem certo speraret, vt sic illius odium non
excitet, vel vt eius benevolentiam conser-

uet: quare hæres, si ex iustis, seu probabili-
bus causis possit dubitare de certa defuncti
voluntate, utique in conscientia non tenetur
satisfacere testamento minus solemnni.

Declara secundo, concordando opinio-
nes cum distinctione: Aut enim supponimus,
hæredem esse certum de voluntate defuncti
aliunde, quam ex testamento imperfecto, ca-
rente numero septem testium: & isto casu
procedit, & vera est illatio, quia in foro con-
scientiae attenditur veritas, & non suspicio, &
præsumptio, & in his terminis loquitur illa-
tio, quæ efficaciter confirmatur ex his, quæ
scripsi supra num. 84. & seqq. vers. subinfero
generaliter. & num. 88. Aut supponimus,
hæredem non esse certum de voluntate de-
functi aliunde, quam ex testamento imper-
fecto: & isto casu procedit, & vera est op-
nio contraria, & sic reijcienda est opinio
Manticæ, & aliorum, qui non supponunt
certam scientiam in hærede aliunde, quam
ex testamento imperfecto; & ratio quare sic
vera hæc contraria opinio contra Mantic. &
alios, est, quia, licet in testamento suppona-
mus numerum trium testium, & hic nume-
rus de iure naturali, & diuino sufficiat regu-
lariter ad probandam veritatem, quia de
iure diuino in ore duorum, vel trium stat
omne verbum; & licet in foro conscientiae
attendi debeat ius diuinum, seu naturale;
tamen, his omnibus admissis, nego, in testa-
mento sufficere de iure naturali, seu diuino,
hunc numerum, quia hoc modo daremus
contrarietatem inter ius diuinum, & ius po-
sitiuum, quod est falsum, vt ostendi supra
num. 42. & seqq. confirm. 2. & sic ruit funda-
mentum ipsorum, qui dicunt, testatoris vo-
luntatem de iure diuino, seu naturali probari
dicto duorum testium, quasi hæciura discor-
dent, & contrariantur: vnde, sublata verita-
te testamenti, cessat omnis difficultas, quia
nisi hæredi aliter in sua conscientia constet
de voluntate defuncti, ex testamento non
constat.

119 Ad adducta pro contraria opinione, re-
pondeo, quod non oritur obligatio natura-
lis quoad forum exterius.

Ad confirmationem respondeo distinguen-
do: aut nullitas est fundata in defectu con-
sensus, vt est nullitas obligationis pupilli,
de qua locutus sum supra num. 68. & tunc
confirmatio procedit: aut nullitas est fun-
data in defectu alterius solemnitatis, intro-
ductæ ad evitandas fraudes, vt in casu no-
stro,

stro, & tunc confirmatio in foro conscientiæ non procedit, quia veritas præualet præsumptioni.

Sub infero ex eadem illatione, quod legatarius ex testamento minus solemnis potest mutuare hæredi sine vitio usuræ, hoc pacto adiecto, quod hæres mutuatarius teneatur restituere mutuatum, & soluere eidem legatum, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 1. vers. sequitur ex dictis. & vers. seqq. col. 5. fol. 297. & q. 4. vers. ad rationes. col. 4. in fine, fol. 338.

120 Extende septimo, vt procedat etiam si consensus, quo rei dominium in te transferatur, sit rescissibilis, ita ut is, qui rem in te transtulit, possit eandem à te auocare, petita restituzione in integrum iure speciali, vel generali; quia nihilominus tu eam rem restituere non teneris, nec in foro fori, nec in foro animæ, donec non sit petita restitutio, & sequuta sententia, quæ te ad restitucionem condemnnet, Innoc. in cap. 8. quia plerique sub num. 3. vers. sed quid dices in eo. Io. Andr. sub num. 4. vers. quid si quis tutus. ibi, sed quid dices in eo. Anch. num. 11. in fine, & 12. q. 5. & Abb. num. 28. q. 9. de immun. eccl. & licet Innoc. & Io. And. non videantur expressè locuti in foro animæ, tamen in eo loquuntur, quia in toto illo cap. scribunt de restitucione in foro conscientiæ, vt notaui etiam supra q. 1. sub num. 111. & admonet ibi Abb. num. 7. qui propterea d. num. 28. expressè loquitur in isto foro.

Ratio secundum Anch. hic citatum, est, quia tu habes iustum titulum, & dominium antequam à te auocetur.

121 Confirmatur hæc extensio, quia electus, si electio non sit nulla, sed veniat annulanda, potest retinere beneficium, sic quæsitum, & retinendo, non peccat, nisi prohibeatur à iudice secundum aliqua, quæ adducit Innoc. in cap. 28. quod sicut. sub num. 8. vers. & argumentum est. de elect. &c. quem refert, & sequitur Abb. in d. cap. quia plerique. sub num. 31. vers. quoad secundam. ibi, & nota. & quod quamuis in electione non fuerit seruata forma, data à canonibus, dummodo interuenerit purus consensus intelligentium, elecio teneat in foro conscientiæ, sequitur Felyn. in cap. 1. fall. 6. num. 39. de constit.

122 Refringre primo hanc extensionē, vt non procedat, quando tu, qui ex contractu rem habuisti, usus es malitia in illo contractu, &

sic malitiosè consensum extorsisti, quia, si læsio processerit ex tua malitia, teneris restituere in foro conscientiæ, etiam restitutio non petita, Innoc. & alij in locis supra cito tatis: Imò poteris condemnari etiam in foro exteriori, per ea, quæ de læsione cum dolo scripsi supra ampl. 10. num. 7. & seqq.

Ratio est eidens, quia malitia, & dolus fraternizant, sed cōtractus, cui dolus causam dedit, est ipso iure nullus, vt dixi d. ampliat. 10. num. 8. cum ex dolo excludatur consensus, & sic semper insisto in fundamento consensus, & non consensus.

Restringe secundo, vt nō procedat, quando alter contrahentium rem alterius cum læsione habuerit, quia tunc quamuis habuerit ex spontaneo, & simultaneo contractu, & dominus agere non possit ad restitucionem, eo quia modica sit læsio; tamen in foro interiori tenetur emendare illam læsionem, vt declaraui supra num. 78, sub illat. 1. & ratio est, quia cessat consensus in ea parte, in qua adest læsio, licet consensus adsit in toto contractu; & ideo, ne teneatur restituere in foro animæ, debet habere consensum contrahentis, qui fuit læsus.

Explica vberius hanc restrictionem ex his, quæ copiosè scripsi supra ampl. 10. num. 41. & seqq. ne eadem hic repetamus.

Restringe tertio, seu potius declara materiam eiusdem extensionis, adhibendo tres conclusiones: Prima quarum est, qui ex suo exercitio licito aliquid ultra debitum sine dolo malo extorsit, exegit, vel recepit ab aliquo, seu lucratus est, nullam tamen habens iurisdictionem puniendi; vt puta, quia fit aduocatus, cursor, medicus, & similis, non tenetur illud restituere, nisi illud ultra esset immoderatum, ad quod restituendum iudex ex officio suo deberet cogere; prudenter tamen faciet, etiam in casu, quo arctari non potest ad restitucionem, si in eleemosynam illud largiatur: sed medicus, & aduocatus magis cogendi sunt, quia si infirmus, durante infirmitate, ei quid vendat, quasi compulsus contra bonam fidem vendiderit, ad restituendum medicus coerceri debet, l. 3. medicus. ff. de var. & extraord. cognit. Glos. in l. 6. quisquis. in verbo, nullum. C. de postul. quare venditio, facta medico ab infirmo pro minori pretio, rescinditur officio iudicis, Ant. Burg. in cap. cum causa. num. 52. de empt. & vendit. inter Repet. tom. 4. fol. 270. qua ratione prohibi- tum

tum est etiam aduocato, ne, durante lite, emat à cliente, seu aliter cum eo contrahat, quia facile cliens omnia daret propter timorem litis, d.l. quisquis. vers. præterea nullum. & ibi Gl. sicut enim qui laborat febre, vel alio morbo corporali, est infirmus corpore; ita etiā qui litigat, est infirmus mente, & proinde etiam sicut medicus ipse, dum est infirmus, indiget medico, quia ipse ab æstu sitis, ab appetitu nocuorum, & alijs corporis passionibus victus, se ipsum nō recte curaret; sic quoque aduocato in causa propria, dicimus, quòd aduocatum querat, quia multis agitatus passionibus, in suo salutari deficeret; & ex his ego iudicium palatia, in quibus aguntur lites, & magna adest litigantiū multitudo, soleo vulgariter appellare, infirmariā sanorum. † Secunda conclusio: si habens officium cum iurisdictione, aliquid eo amplius, quod ratione iurisdictionis exigere poterat, exegit, tenetur illud restituere. † Tertia conclusio: exercens illicitas negotiations, vel iniustè acquirens, si conscientia repulsat, seu remordet in eo, quod immoderatè est exactum, purganda est conscientia; si autem conscientia non remordeat, consideret, an is, qui sibi dedit vltra debitum, esset sagax, & discretus, ita vt verisimiliter sciret, quod donabat, & tunc restituere non tenetur, nisi illud vltra esset immoderatum, vt dixi in prima conclusione; an verò esset ignarus, aut prodigus, vel alias iuuenis parum prudens, & tunc quod vltra debitum habuit, tenetur in foro animæ restituere, Innoc. in d. cap. quia plerique. sub num. 3. vers. si autem qui potestatem. Io. Andr. sub num. 4. vers. quid si quis qui potestatem. Anch. sub num. 12. q. 5. ibi, in alijs exemplis. & latius Ant. de Butr. sub num. 12. cai. 6. & copiosius, clarius, & ordinatè Abb. num. 32. & seqq. q. 10. de immun. eccles.

Extende octauo, vt procedat non solum, si res sit effecta tua ex consensu expresso illius, qui erat dominus rei, vt hucusque locuti sumus, sed procedat etiam si sit effecta tua ex consensu tacito, seu interpretatio; quia tu isto casu non teneris eam restituere nec in foro fori, nec in foro poli.

Exemplifica primo, probando hanc extensionem, quando tu pacificè possedisti rem Titij spatio triginta, vel quadraginta annorum, ipso Titio præsente, & non contradicente, ita, quòd ex eius diurna taciturnitate possit præsumi, quòd voluerit rem illam

habere pro derelicta, & tacitè consenserit, quòd efficeretur tua, quia isto casu tu eam iustè retineres in utroque foro; nec Titius posset, mutata voluntate, te in ea vexare, quia quod semel placuit, amplius displace non potest; & hoc acquisitionis genus, procedens ex isto tacito domini consensu, vocatur in iure præscriptio; & reputatur iusta, & licita acquisitione in utroque iure, ciuili scilicet, & canonico, quia, supposito hoc tacito consensu, cessaret semper mala fides præscribentis, cum mala fides in præscribente non oriatur absolute ex eo, quòd possidet scienter ré alienam, sed ex eo, quòd eam possidet sine consensu domini illius rei, vt latè patet ex his, quæ scripsi supra num. 62. & seqq. & sic, cessante mala fide, ius canonicum non habuisset, cur corrigeret ius ciuile in eo, quòd admittebat præscriptionem sine bona fide; & consequenter superflua etiam reddeatur disceptatio; an tutus exceptione præscriptionis, sit tutus in foro animæ, vel potius teneatur facere sibi conscientiam; in qua disceptatione nostri Doct. nimis obscurè loquentes de scientia rei alienæ, sicq; de mala fide, superueniente post completam præscriptionem (quem articulum clarè definivimus supra ampl. 17. num. 26.) intricatas formarunt distinctiones, an, & quando res præscripta sit restituenda: nam Innoc. in d. cap. quia plerique. sub num. 3. vers. item qui tutus. dicit, se credere, quòd si præscriptio est odiosa, in qua nullus requiritur titulus, nec bona fides, teneatur restituere; & postea recenset, quòd quidā alij dicunt, quòd dummodo præscriptio sit cum bona fide, licet sit sine titulo, non tenetur restituere; secus, inquit, in præscriptione, quæ non est inducta contra naturalem æquitatem, sed propter bonum, & æquum; quia tunc qui præscripsit non tenetur restituere, & alia subdit, quæ refert, & sequitur Io. Andr. ibidem, sub nu. 4. vers. quid si quis tutus. fusè, & perplexius Ant. de Butr. ibidem, num. 9. il 1. vers. ex his patet. & breuius Anch. nu. 10. q. 3. hanc videtur firmare distinctionem; quòd si præscriptio est odiosa, quæ procedit cum mala fide, teneatur restituere; si verò est fauabilis, quæ procedit cum titulo, & bona fide; non teneatur restituere, & hanc esse communem Canonistarum opinionem, testantur Ant. de Butr. vbi supra, & Abb. infra citatus; licet Theologi dicant, quòd utroque casu præscribens tenetur restituere in foro conscientie:

scientiæ, ut testantur. Idem Ant. de Butr. Anch. & Abb. quibus Theologis videtur adhærere Ant. de Butr. loco supra citato, ubi loquitur & contra Innoc. & multis adhibitis considerationibus, quæ hunc passum redundunt confusum; sed Abb. ibidem, num. 25. q. 7. accurate, & facile, relata tota Antonij de Butrio distinctione; eaq; expressè impugnata, in eo, quod etiam de iure canonico facit differentiam inter forum pœnitentiale, & forum contentiosum; concludit, inquam, Abb. indistinctè, quod tutus iuris dispositio-
ne, quod potuit ex causa rem vnius dare alteri, sit tutus in utroque foro, & ideo non teneatur restituere, etiam superueniente scientia rei alienæ.

128 Ratio huius exemplificationis fundatur in duabus regulis: Prima est, quod diurna, & aperta negligentia æquiparatur voluntati, Gl. in cap. vlt. in verbo, aut negligenter. 11. q. 3. & facientis culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare, & non caret scrupulo confessionis occulte, qui manifesto facinori definit obuiare, cap. 3. error. dist. 83. cap. 3. facientis dist. 86. & cap. 55. negligere. 2. q. 7. & maximè procedit hæc regula, quando negligens est monitus à iure, vel ab homine, prout à iure monetur is, contra quem præscribitur, dum ei præfigitur tempus. Secunda regula, & participat de hac prima, est, quod tacēs habetur pro consentiente secundum regulam generalem, quam etiam cito in meo tractat. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 592. in fine, hancque regulam in nostris terminis, dicens, quod tacens tanto tempore præsumitur consentire, considerauit Ioan. Andr. in cap. possessor. num. 26. vers. tertia ratio. & sub nu. 43. vers. concludo igitur. de reg. iur. in 6. & quod ex tacito consensu possit oriri præscriptio, scribit Alex. in l. 117. filius familias. Si diu. sub num. 28. vers. tetigit hic. versus finem, ff. de leg. 1. quem sequitur Balb. tract. de præscript. par. 1. q. 5. princip. num. 5. tom. 17. fol. 53. dicens, quod, interueniente scientia eorum, contra quos præscribitur, videntur tacite consentire, secus si ignorent; & addit Balb. ubi supra num. 6. quod præscriptio contra scientem habet in se tacitā renuntiationem, & Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. num. 9. il 1. versus finem, dicens, quod non est tantus stimulus conscientiæ, quando præscribitur contra scientem, quia tunc videtur habere illius consensu: sed, omissis Docto-

rum suffragijs, probatur, quia in alienante semper inest consensus, & hoc est indubitable, sed qui patitur vsucapi, videtur alienare; ideoque alienationis verbum vsucacionem etiam continet, l. 28. alienationis verbum. ff. de verb. signif. ergo qui patitur vsucapi, seu præscribi, dicitur consentire.

Ratio rationis, quare colligatur, & præsumatur hic consensus, est, quia cum Reip. valde intersit, ne rerum dominia maneant incerta, & litium materia inde augeatur; & ex litibus magnæ insurgant discordiæ, & ex discordijs alia grauia consequantur damna, potuit, & debuit Resp. ad his obuiandum, legem ferre de præscriptionibus, eliciendo consensum eius, contra quem præscribitur.

Contra hanc exemplificationem, eiusq; rationem obiectet aliquis, hæc duo pugnare, & simul conuenire non posse, nempè, quod quis ingrediatur scienter rem alienam, & quod possideat eam bona fide, cum is, qui retinet scienter rem alienam, non solum non possit esse in bona fide, sed sit quoad Deum fur, & raptor, nisi eā restituat, cap. 6. si quid. 14. q. 5. si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti, &c. &c., quod is dicatur malæ fidei possessor, qui habet scientiam rei alienæ, sequitur Balb. tract. de præscript. tertiae partis princip. par. 2. q. 1. sub nu. 1. vers. malæ fidei. tom. 17. fol. 62. Et dicere, quod bona fides posset postea oriri, & confici per taciturnitatem, & patientiam domini, quem præscriptor credat habere rem illam pro derelicta, & sic consentire, vt illius domini transeat in occupantem, est vanum dictū; siquidem bona fides requiritur omni tempore, cap. vlt. de præscript. maximè autem ab initio, vt sequitur Balb. d. 2. par. 3. par. princip. q. 7. nu. 1. & 2. & 3. par. 6. par. princip. q. 2. princip. nu. 1. fol. 64. & 106. præterea hæc credulitas non potest esse, nisi simulata, cum res suas, præsertim non parui valoris, nemo sanæ mentis velit habere pro derelictis; quare interrogaremus hunc, qui rem ex isto ratio consensu vult præscriptisse, an ipse, si fuisset sua, voluisset eam habere pro derelicta?

Huic obiectioni respondeo, quod ante conditam præscriptionis legem obiectio ista vngeret, sed post notam præscriptionis legem non vngeret, quia, cum lex declarat, tacitum, & negligentem tanto tempore, præsumi consentire; potest præscribens bona fide credere, quod tacens toto illo tempore, consentiat; quia sicut bona fide potest quis credere

credere illi, qui sponte verbis expressis consentiret, & gestis annueret, quamuis in corde suo aliter sentiret; ita etiam potest credere, quod consentiat ille, cui à lege est declaratum, quod nisi infra tantum tempus contradixerit, intelligatur consensisse.

131 Nec dicatur, quod presumptus consensus non appellantis infra tempus à sententia non excusat eum, qui illius sententiæ vigorem alienam scienter haberet, iuxta ea, quæ scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 3. cauf. 7. vers. corollariè sequitur. fol. 45. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 5. tit. an sententia iniusta, &c. concl. 1. & 2. & seqq. fol. 83. & 84. quod etiam videtur aperte sentire Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub num. 40. de constit.

Quia respondeo, diuersam esse rationem: nam non appellans iam expressè dissentij in tota lite, & sic manifestè apparet de non-consensu; & appellationis omissione non tollit illum dissensum, sed solum inducit presumptionem iuris, & de iure pro iustitia sententiæ, quamuis supponeremus dissensum: secus ergo si omittens appellare consentiret in sententia, Med. in loco supra proximè citato; & quod lex presumat pro sententia, non suspensa per appellationem, scribit Felyn. in loco, supra proximè citato; at in præscriptione supponimus, nunquam constare, seu constitisse de dissensu.

Quo alio consensu possit hæc exemplificatione defendi, vide infra num. 138. extens. 9.

Retenta hac ratione.

Infero primo ex ea, quod decipiuntur Ant. de Butr. in cap. 8. quia plerique num. 9. il 1. vers. ex his patet. de immun. eccles. & alij Doct. dum rationem hanc, quam assignauimus nos, non considerantes, communiter dicunt, præscriptionem esse in odium negligentis, & in poenam negligentiae induciam, & ne rerum dominia maneant incerta & moueor contra eos ex pluribus: Primo, quia poena non debet esse grauior delicto, sed priuatio rei, præsertim magni valoris, est poena grauis, & negligentia rei suæ est culpa leuis, vt aduertit etiam Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 7. vers. quinto & ultimo. fol. 172. Secundo, quia si præscriptio esset inducta ex negligentia eius, qui est dominus rei, præscribens non esset tutus in foro conscientię, quia illa negligentia non liberaret cum à mala fide, secus si sit inducta ex tacito consensu, vt deduxi etiam

infra num. 135. Tertio, quia negligentia sola ex se non est apta ad dominij translationem, prout est aptus consensus, siue expressus, siue tacitus: ergo materia immedia ta, ex qua conficitur præscriptio, non est negligentia, sed erit consensus, qui proficietur ab ipsa negligentia; & sic ratio, fundata in negligentia, vti infirma, debet cedere rationi, fundatae in consensu, quæ est firma.

Infero secundo, declarando exemplificationem, quod est vera, quando negligentia est ex omni sui parte absoluta, ita vt ex ea verisimiliter colligi possit tacitus consensus; secus autem si negligentia sit in aliqua sui parte vulnerata, & non absoluta; vt puta, quia præscribens, possessionem ab initio violenter inuaserit, aut is, contra quem præscribit, sit infans, furiosus, mentecaptus, ignorans, & similis, in quibus deficit consensus: item si sit infirmus, aut seruus apud hostes, vel aliter impeditus, ita vt excludatur negligentia, & consequenter consensus; vnde dicimus, quod non valenti agere non currit præscriptio.

134 Sub infero; longius tempus requiri ad præscribendum contra absentem, quam contra præsentem, quia maior est negligentia præsentis, quam absentis, & sic facilius potest præsumi consensus in præsente, quam in absente.

135 Infero tertio, eandem exemplificationem, eiusq; rationem fore valde utiles, si pro veris sustineri possent, quia, dato consensu pro fundamento præscriptionis, cessaret diuersitas inter forum, & forum; superflua redde retur Doctorum disceptatio de iusto titulo, & bona fide, & de superueniente scientia rei alienæ post completam præscriptionem, de quo articulo scripsi supra ampliat. 17. sub num. 26. & demum conciliarentur ius canonico, & ius ciuile: sed dato, quod præscriptionis fundamentum sit negligentia, omnia ista magna cum dissensione insurgūt.

Infero quarto, quod, sublata ratione taciti consensus, ex quo possit oriri bona fides præscribentis, vt explicaui supra sub n. 127. & 128. &, retenta communi Doctorum ratione, de qua supra num. 132. is, qui propria teneretur obligatione soluere, vel quid aliud facere, nulla temporis præscriptione posset se tueri, quia propria obligatio habet semper in se scientiam, & scientia malam fidem, & mala fides inficit præscriptionem de iure canonico, cap. 2. possessor. de reg. iur. in 6.

& cap.

& cap. vlt. de præscript. & quod scientia sola impedit præscriptionem, scribit Caputaq. decis. 24. seu 1. in mala. num. 5. par. 2. & consequenter qui per instrumentum, vel apocham, aut aliter se obligasset ad soluendum, non posset, repugnantibus mala fide, & iusti tituli defectu, præscribere, & sublata præscriptione, litium materia non amputaretur; quod ij. qui Vrbis stat. lib. 1. cap. 158. condiderunt, aduententes, sapienter præsumptionis remedium induxerunt, statuentes, vt fluxo sexdecim, seu decem annorum tempore, cum creditoris taciturnitate, præsumatur solutio, seu satisfactio, quod statutum nititur conclusioni, quod ex tēporis diuturnitate debitum non petitum præsumatur solutum, vt tenent ij., quos citat Rot. diuers. decis. 788. dubitauit. sub num. 1. & 2. par. 1. hocq; statutum sapienter imitati videntur Genuenses in eorum statut. cap. 5. §. qui per annos quinque. lib. 6. statuentes, vt si locator per quinquennium pensionem locationis non petierit, & conductor iurauerit, se soluisse, & præsumptio non extet in contrarium, solutio dicatur probata; quorum statutorum dispositio comprobatur, quia in fortioribus terminis, sciens se debitorum, potest præscribere liberationem contra creditoris actionem præscriptione statutaria, dummodo statutum præsumat contrarium simulatum ex lapsu certi tēporis cum silentio creditoris, vt refert Felyn. in cap. vlt. quoniam. num. 5. in 4. declar. de præscript. & licet ipse postea sub num. 7. limit. 3. teneat, quod statutū non possit inducere præscriptionem cum mala fide, etiam præsumendo simulationem; tamen nos hoc admittimus, sed stat. Vrbis, de quo loquor, non inducit, nec intendit inducere præscriptionem cum mala fide, sed inducit ex iusta verisimilitudine præscriptionem in foro fori, remanente idcirco iudicio super veritate in foro conscientiæ, vt dixi sup. sub num. 87.

Ratio, quare statutum possit inducere præscriptionem solutionis, & non præscriptionem, est, quia lex, quæ in occultis statuit id, quod ex verosimili præsumitur, iuste agit, quia cum pro bono publico lites terminandæ sint, & veritas non appareat, necessario ad verisimilia recurrentum est, cap. 2. afferte. de præsumpt. hæcq; lex, quia præsumit, non tollit ius parti, si veritatem in contrarium ostendat, & dato, quod omnino tolleret in foro fori, tamen non tollit in foro

conscientiæ, per ea, quæ dixi supra sub num. 83. & seqq. & præsertim num. 88. & illud certissimum est, quod lex humana potest se fundare in præsumptionibus, etiam quod fallatur, vt scripsi supra q. 1. num. 529. quia non se fundat in præsumptionibus, nisi ex iusta, & necessaria causa, videlicet, aut quia veritas non appareat; aut quia præsumendo, obuiet fraudibus, & occasione delinquendi; at lex, quæ præscriptionem cum mala fide induceret, nutriret peccatum, & partis ius omnino perimeret, ideoque iniuste ageret, Balb. tract. de præscript. in 2. par. tertia par. princ. q. 14. num. 1. & seqq. tom. 17. fol. 68. quia præscriptionis lex hanc deberet habere naturam, vt præscribentem tueretur etiam in foro conscientiæ, vt secutus sum supra ampl. 17. sub num. 26. cum feratur non super re præsumpta, sed super re certa, in qua propterea debet statuere, quod peccatum non continet.

Sed quando mala fides non consideretur in præscriptione, vide infra §. 7. glos. 7. num. 2. & 3.

ART. 10 Nota primo obiter circa prædicta statuta Vrbis, quod rubrica de præscriptione, videtur inepte posita, cum aliud sit præscriptio, aliud præsumptio, & difficilis inducatur præscriptio, quam præsumptio, de qua in dicto statuto.

Nota secundo, quod prædictum Vrbis statutum à prædicta præsumptione solutionis excludit quedam debitorum genera, inter quæ est debitum sortis censuum, quia sortit census non præsumitur soluta, & ratio in ea est euidentis, quia creditor non potest illam exigere, cum quoad se census sit perpetuus, sicq; non potest dici, quod taceat is, qui caret ore, & lingua; & consequenter deficit in eo fundamentum præsumptionis: & in quibus casibus præscriptio statutaria non habeat locum, vide Balb. tract. de præscript. in 2. par. 3. par. princip. q. 14. num. 10. tom. 17. fol. 69. lo. Bapt. Bou. de statut. Vrb. præscript. gl. 19. tom. 17. fol. 184. & Rot. diuers. decis. 727. camillus. num. 5. par. 1. & decis. 298. agebat. num. 4. & 5. in Rom. census de Cafarellis, mercurij 9. Decembbris 1587. in impressis Lugduni 1612.

Nota tertio, quod etsi præsumptio, quantumvis iuridica, & rationabilis sit, debeat à parte allegari, alias iudex ex officio in ea fundamentum facere non debeat, Magon. in Lucens. decis. 27. num. 18. & seqq. & Menoch.

noch. tract. de præsumpt. lib. 1 q. 8. nu. 36. & latè q. 48. cū seqq. vbi, latè distinguendo, declarat, an, & in qua præsumptione hoc sit verū.

Tamē secus est in præsumptione, quæ excludat actorem, & cōstet de ea ex actis, quia sicut iudex potest ex officio repellere eum, cui obstat præscriptio, apparenſ ex actis, vt sequitur Balb. tract. de præscript. par. 1. q. 8. num. 1. & seqq. tom. 17. fol. 54. ita videtur dicendum, quòd possit repellere eum, cui obstat præsumptio, inducta ad hunc effeſtum à statuto.

Nota quarto, quòd prædictū statutum Vrbis non habet locū in contractu iurato; quare obligatus soluere ex contractu iurato, teneatur soluere, etiam quod lapsi sint sexdecim anni, & creditor nunquam petierit solutionem, Rot. diuers. decis. 199. statutum. nu. 1. & seqq. in Rom. pensionis domus, 16. Ianuarij 1598. coram Illustriss. Card. Lancellotto, in impressis Lugduni, anno 1612.

Ratio huius notabilis est, quia debitū iuratum non tollitur præscriptione statutaria, quamvis statutum præsumat post tēpus fraudem, siue contractum simulatum, tum quia iuramentum habet vim litis contestationis, quæ perpetuat actionem ad 40. annos, Felyn. in cap. vlt. quoniam. num. 7. limit. 2. de præscript. Balb. tract. de præscript. in 2. par. tertiae par. princip. q. 14. num. 11. vers. secundo limitar. tom. 17. fol. 69. Rot. d. decis. 199. num. 3. & latius, & de opinione communi Gabr. in conclus. lib. 6. tit. de stat. concl. 11. num. 1. & seqq. & quòd iuramentum habeat vim litis cōtestationis, quæ perpetuat actionem ad 40. annos, probatur ex l. 9. nam postea. S. si is qui. & ibi Bar. ff. de iure iur. tum quia statutum, vel alia dispositio, simpliciter loquens, nunquam trahitur ad actum iuratum, nisi de iuramento faciat expressam mentionem, Balb. d. q. 14. num. 12. eod. fol. 69. Gabr. d. concl. 11. num. 4. vers. sed contrarium. & Rot. d. decis. 199. num. 2.

Contra istud notabile tenuerat prius Rot. vt testatur Mohed. decis. 5. alias 227. in ead. de præscript. dicens, quòd prædictum statutum habet locum etiam in instrumento iurato, quia illud statutum tollebat probationem instrumenti, & proinde non constabat de debito, neque de iuramento.

In hac contrarietate Io. Bapt. Bou. tract. de stat. vrb. præscript. glos. 19. ampl. 30. num. 125. & seqq. usque ad num. 135. exclusiū, & gl. 29. num. 1. in fine, & seqq. tom. 17. fol.

187. & 199. varias recenset opiniones, & distinctiones, sed inconstanter, & sine certa resolutione: At Rot. d. decis. 199. num. 4. & seqq. concordat distinguendo, vt opinio, quam ipsa tenet, procedat, quando statutum non adimit fidem instrumento; opinio verò contraria, quādo statutū adimit fidem.

Verum, sit Rotæ pace dictum, & salua semper eius prudentiori sententia, hæc distinctione non videtur omnino satisfacere; quia ratio, quare statutum adimat fidem, est, quia creditor non petit debitum infra illud tempus: sed Rota dicit, quòd iuramentum habet vim litis contestationis, quæ per necesse includit interpellationem, & petitionem: ergo vbi adest iuramentum, cessat ratio statuti, & consequenter cessat statutum.

Et eò minus videtur d. decis. 199. satisfacere, quia facit differentiam inter statutum, præsumens solutionē, & statutū, adimens fidē instrumento; vt primum statutum non habeat locum in cōtractu iurato, & secundum habeat locum; & tamen hæc differentia non videtur admittenda, cum iuramentum æquè utriusque statuti rationem eneruet: vtroque enim casu virtute iuramenti adest petitio creditoris, & consequenter vtroque casu cessat silentium creditoris; & sic non cessat instrumentum, neque iuramentum.

Quare, retenta Rotæ distinctione, sequetur, quòd statutum d. cap. 158. præsumens solutionem ex lapsu 16. annorum, haberet locum etiam in contractu iurato, quia statutum adimit fidem scripturæ; cætera verò statuta, præsumentia solutionem ex lapsu decem annorum, non haberent locum, quia non adimunt fidem.

Ego concluderem, prædictam differentiam non esse admittendam, per ea, quæ dixi, & propterea concluderem indistinctè statutum, siue adimat fidem, siue non adimat fidem, non habere locum in contractu iurato, per ea, quæ dixi supra vers. ratio. quam tamen conclusionem limitarem non procedere, quando statutum expressè requireret interpellationem iudicialem, vel extra iudicialem, prout requirit prædictum statutum Vrbis, quia interpellatio debet intelligi in proprio significatu.

Firmata hac nostra conclusione, remanet vt diluamus duo, quæ conclusioni, & primæ opinioni videntur obstat.

Non obstat ergo primum, quòd iuramentum sequatur naturam actus, super quo in-

terponitur, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. nu. 141. 423, & 424. & consequenter actus, qui de sui natura est præscriptibilis, sit præscriptibilis, etiam si sit iuratus, vt videtur sequi Balb. tract. de præscript. in 3. par. quintæ par. princ. q. 3. nu. 1. & 2. tom. 17. fol. 96.

Quia respondeo, quod sequitur naturam contractus quoad consensum, ita vt, deficiente consensu in contractu, deficiat etiam iuramentum, secus quoad efficaciorem obligationem, vt declarant Franc. Zoan. tract. de empt. & vendit. sub num. 40. tom. 6. par. 1. fol. 70. & alij, quos secutus sum d. cap. 2. num. 424.

Non obstat secundum, nempe, quod possessor male fidei nunquam præscribat, cap. 2. possessor. de reg. iur. in 6. & cap. vlt. de præscript. & litis contestatio faciat, possessorum esse in mala fide, Rot. decis. 4. alias 24. fuit dubitatum. in nou. & Caputaq. decis. 27. seu 1. fructuum. num. 5. & 6. par. 2. & tamen nec iuramentum, quod habeat vim litis contestationis, nec ipsa litis contestatio perpetuant actionem ultra 40. annos, vt dixi supra vers. ratio huius.

Quoniam respondeo, distinguendo duplum malam fidem: Prima mala fides est illa, quæ causatur à sola litis contestatione: & dico, quod ista operatur duo: Primo, vt possessor teneatur restituere fructus, quos percipit post contestationem litis, vt loquuntur Rot. & Caputaq. in locis supra citatis; quare bona fidei possessor tenetur restituere fructus, extantes tempore litis contestatae, & post contestationem litis, vniuersos, l. 22. certum. C. de rei vend. & ibi Gl. & in cap. gravis. in verbo, fructus. de restit. spol. Secundo operatur perpetuationem actionis usque ad 40. annos, vt dixi: Secunda mala fides est illa, quæ causatur à certa scientia rei alienæ: & ista operatur non solum, quod possessor teneatur indistinctè ad restitutionem fructuum, & actio perpetuetur ad 40. annos, sed operatur ulterius de iure canonico, quod possessor nunquam præscribat, & sic actioni nunquam præscribatur; & ratio differentiae est, quia potest quis contestari litem, & eam prosequi bona fide, credendo, se iuste possidere, & sic potest præscribere, licet non minori spatio, quam 40. annis, vt dixi, at is, qui certò scit rem esse alienam, nunquam potest præscribere, quia semper est in mala fide secundum communem Doctorum op-

nionem, vt dixi supra num. 132. & 135. & sub hoc eodem num. vers. infero quarto.

Nota yltimo, quod illa conclusio, de qua supra vers. infero quarto (quod ex sola temporis diurnitate præsumatur solutio) non est vera de iure communi, quia, si esset vera, frustra lex induceret præscriptionem, Rot diuers. decis. 788. dubitauit. num. 12. & 13. iuncto nu. 1. & 2. par. 1. & ideo est vera solum ex dispositione statutorum.

Extende hoc notandum, vt de iure communi habeat locum etiam in fructibus, seu interesse dotis non solutæ, quia ex diurnitate temporis non præsumuntur soluti, id est, donati, seu remissi, Corn. cons. vlt. quod est 250. num. 13. & 14. lib. 2. Iaf. & alij. in l. quæ dotis. sub num. 19. ff. sol. matr. Alc. tract. de præsumpt. præsumpt. 32. sub num. 6. vers. contrarium. tom. 4. fol. 314. & maximè, si fructus, constante matrimonio, fuerint petiti, & super eis contestata lis, & lata sententia pro solutione; quia isto casu cessat præsumptio; quamvis postea maritus longo tempore taceat ad illos consequendos.

Nec obstat text. in l. 17. cum quidam. S. diuus. ff. de usur. & in l. 55. vir usurias. ff. de donat. int. vir. & vxor.

Quia respondeatur, quod illa iura loquuntur in usuris dotis, quæ sunt odiosæ, quæve deberentur officio iudicis, & quando non fuerunt petitæ, constante matrimonio, seu debitor probat, quod creditor ideo non petebat, quia aliquam sperabat gratiam ab ipso debitore, vt respondent Doct. supra citati. At fructus dotis non sunt usuræ, ideoque nec odiosi, & debentur iure actionis ex statuto, & ita passim seruatur.

Sed de iure municipalí Vrbis seruanda esset dispositio statutorum dicto lib. 1. cap. 158.

Extende nunc, quod supra vers. infero quarto. dixi de mala fide, inficiente præscriptionem, vt maximè procedat in foro interiori; nam licet debens aliquid in genere actione personali, suum sit quod debet, vel nullius, neque possideatur ab aliquo, antequam soluat, & ideo possit illud de iuris subtilitate, & ex legali dispositione præscribere; non obstante mala fide; tamen secus est de æquitate conscientiali, quia debitor tenetur agnoscere bonam fidem, & præscriptio scientis se teneri, non tollit obligacionem naturalem, Bal. cons. 319. quæritur sciens. num. 1. lib. 1.

Et hæc de prima exemplificatione, posita supra sub num. 127.

136 Exemplifica secundo in hæreditate, quæ ab intestato defertur proximioribus defuncti ex dispositione legis, vt patet ex varijs tit. in ff. C. & Instit. præsertim tit. de hæred. quæ ab intest. defer. vt dixi etiam in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1682. in fine, **137** † quia lex sequitur voluntatem defuncti, l. 19. ff. de condit. & demonstr. & latè Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 3. tit. 3. nu. 1. & seqq. & eius voluntatem hanc esse interpretatur, quia naturale est, vt diligamus proximos, incipiendo à nobis ipsis secundum charitatem ordinatam, vt dixi d. cap. 9. sub num. 1688. versus finem, & ex charitate ordinata colligi defuncti voluntatem, scribit etiam Mantic. d. tract. de coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 11. sub num. 2. & num. 5. & probatur ex l. 30. cum acutissimi. in fine, C. de fideicom. & sic proximioribus venientibus ab intestato acquiritur hæreditas defuncti ex eius interpretatio, & præsumpto consensu.

138 Extende nono, vt habeat locum in consensu virtuali, quo subditi per legem Principis virtualiter, & efficaciter colligantur: lex enim est contractus inter subditos, & Principem, qui tanquam omnium pater, & legitimus administrator, legem inter subditos, quasi contractum constituit, & subditi in eo contractu, idest, lege, effectualiter consenserunt; ex quo enim populus suam autoritatem, & iurisdictionem Regibus, & Principibus concessit, consensum suum legibus, iustis à Principe condēdis, præbuit, ac proinde si lex ob iustum causam aliquę re sua priuat, & alteri eandē confert, in hoc ipso totus populus consentit, sicut & consentire debet, in quo populi consensu includitur cōfensus ipsius domini particularis, ac proinde in casu nulla illi iniuria fit, si per legē huiusmodi dominio rei suæ priuetur, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 1. vers. confirmatur. col. 14. & vers. si contra. col. 15. fol. 8. & 9.

Exemplifica primo hanc extensionem in confiscatione bonorum, seu alia poena pecuniaria, imposta per legem Principis, quia, cum lex sit contractus inter Principem, & subditos, vt dixi, subditus, qui contrauenit legi, dicitur contrauenire proprio contractui, & contraueniendo, incurrit poenam de eorum consensu appositam, & consequenter cum fiscus, vel pars apprehendit bona, seu pecunias contrauenientis, idest, delinquen-

tis, ea retinet tuta conscientia, quia ea habet ex contractu, & consensu.

Nec dicatur, quod delinquens soluit illum poenam coactus, & non sponte; quia respondeo, inspici obligationem, quæ fuit spontanea; nam quando Princeps facit legem iustum, prospiciendo publicæ utilitati; & ideo subditi illam legem recipiunt, dicuntur sponte in ea consentire: quod autem postea coacti soluant, hoc non consideratur, quia & multi sponte se obligant, & tamen obligationi inuiti per sententias, & mandata executiva coguntur parere.

139 Declara notabiliter limitādo hanc exemplificationem, vt quamvis lex poenalis obliget in conscientia, vt secutus sum supra sub num. 53. & lex sit contractus inter Principem, & subditos, vt dixi supra num. 138. & ideo obligatus ex lege, dicatur obligatus ex contractu, & ex proprio consensu, & qui est obligatus ex contractu, & consensu, teneatur in foro interiori adimplere contractum, seu promissum, per ea, quæ secutus sum sup. num. 95. & 114. extens. 2. & 6.

Tamen, qui, delinquendo, incurrit poenam, seu confiscationem bonorum, non retinetur in foro conscientiae illam soluere, sed satis est, quod sacerdos imponat poenitentiam pro delicto, quia poena imponitur per iudicem in foro contentioso, Gl. in cap. 11. fraternitas. in verbo, cum augmento. in fine, 12. q. 2 Gemin. in cap. 35. §. fin. sub num. 2. vers. nota bene. de elect. in 6. Alex. in l. si poenæ. sub num. 3. vers. extra gl. ff. de condic. indeb. Felyn. in cap. 1. fallen. 6. cas. 3. sub num. 41. de constitut. Medin. & Mich. Sal. infra citati.

Restringe primo hanc secundam partem huius declarationis, vt nō procedat, quando lex imponeret poenam ipso facto, quia tunc cōdemnatus teneretur eam soluere etiā ante sententiam, seu declarationē iudicis, vt latè, respōdendo cōtrarijs. firmat Felyn. in d. cap. 1. fallen. 6. limit. 1. num. 43. in fine, 44. & 45.

Contrariū tenent Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. tit. an lex poenalis, &c. concl. 3. per totam. fol. 224. & testando de communi opin. pulchrè Simanch. de cath. instit. tit. 9. num. 212. & seqq. & speciatim nu. 251. tom. 11. par. 2. fol. 132.

Restringe secundo, vt nō procedat, quando delinquens est condemnatus per sententiam iudicis ad illam poenam, quia ex tunc illam tuta conscientia retinere non potest,

sed solum potest retinere, donec sit à iudice condemnatus per sententiam, Felyn. in d. cap. 1. fallen. 6. limit. 2. num. 46. de constit. & Mich. Sal vbi supra, & ex communi opin. sequitur Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 37. col. 2. in fine, vers. sexto esto. & col. 8. in fine, vers. ad sextā. fol. 256. & 259.

Restringe tertio, vt non procedat, quando poena non descendit à lege, sed ex partium conuentione, quia tunc pars ex arbitrio magis libero, & spontaneo se obligat, & ideo tenetur soluere in foro conscientiæ; est enim perinde ac si condemnatio interuenisset, postquam pacto quis se alteri obligauit, Felyn. in d. cap. 1. limit. 3. sub num. 46.

Restringe quarto, nisi pœna legalis, applicanda parti, esset subrogata loco inæstimabilis interesse, & impossibilis restitutionis, puta pro membro truncato, vel debilitato, Felyn. d. cap. 1. sub nu. 46. limit. 3. de constit.

Sed superfluè Felyn. colligit hanc restrictionem, cum satis contineatur in seq.

Restringe quinto, vt non procedat quando lex iniungit delinquenti, vt satisfaciat ieso de damno secuto propter eius delictum, quia ista satisfactio quoad læsum, qui eam recipit, non est poena, licet sit pœna quoad soluentem, qui eam tenetur soluere etiam in foro pœnitentiali, Gemin. in cap. 35. commissa. §. fin. sub num. 2. vers. nota bene. de elect. in 6. quem, vti pulchrè declarantem, sequitur Felyn. in d. cap. 1. fallen. 6. limit. 5. num. 46. versus finem, de constit.

140 Exemplifica secundo, quando Princeps, ne rerum dominia maneant incerta, facit legem, vt res præscribatur tanto tempore contra negligentem, vt dicebam supra num. 127. & seqq. quia isto casu præscribens videatur præscribere ex contractu facto à Principe inter subditos per legem, & sic negligens dicitur consentire, vt præscribatur.

141 Declara primo, temperando eandem extensionem, vt procedat solum, quando lex est iusta; secus si esset iniusta, quia tunc non esset lex, & consequenter cessaret fundamentum, per ea, quæ dixi sup. num. 16. & 51. & diceretur iniusta, verbi gratia, quando esset nutritiua peccati; & ideo si in casu secundæ exemplificationis, de qua hic num. præced. supponeremus malam fidem præscribentis, illa lex forsitan esset nutritiua peccati, & ideo iniusta; quod tamen non firmo, quia quando lex positiva permittit, seu tolerat minus malum, vt obuiet maiori, quod alias necel-

sario sequeretur, dicitur adhuc iusta, & servari debet in foro fori; qua ratione lex positiva permittit contrahentibus, vt possint se decipere infra dimidium, vt secutus suus supra ampl. 10. num. 1. & 3.

Declara secundo, vt procedat, quando lex innititur veritati; secus si innititur præsumptioni, quæ in aliquo casu particulari esset erronea, sicq; prælumeret vnum, & in veritate esset contrarium; quare, si lex disponat, vt absolutus per rem iudicatum, ultius non sit obligatus; & tamen in rei veritate, quam actor non potuit probare, sit obligatus, procedit lex ista in foro fori, in quo non appetat de errore præsumptionis; secus in foro poli, in quo constet de errore, quia in isto foro cessat consensus, & contractus legis: lex enim, quæ mandat, absolutum per rem iudicatam non esse amplius obligatum, præsumit absolutionis sententiam esse iustum, quia re vera absolutus non sit debitor: quod si constaret esse obligatum, vtique non mandasset absolutionem, quia esset lex iniusta, & sic non esset lex, & consequenter lex isto casu non consentit, & sic cessat contractus.

A M P L I A T I O X X .

S V M M A R I V M .

Cambio etiam nulliter, sicq; usurariè contracto, campor non perdit pecunias datas cambio, nec excluditur à consecutione interesse, num. 1. & seqq. & num. 26. Reiectis motiuis, de quibus num. 22. & seqq.

Restringitur primo hac ampliatio, distinguendo duos casus, & quatuor species contractuum, num. 28. & seqq.

Restringitur secundo, vt interesse cambiorum sit indebitum, ubi cambia non exercerentur, num. 35.

Procurator ad accipiendum mutuas pecunias, potest accipere cambio, num. 36.

Locupletatio unius cum alterius iactura est contra naturam, sub num. 1. vers. ratio.

Cambij interesse, probatis requisitis, debetur, etiam nulla cambij forma seruata, num. 3.

Mutuum in verbis, & in re societas, dicitur societas, num. 4.

Mutuum potest in parte valere, & in parte non, num. 6.

Pactum usurarium vitiatur, & non viciat mutuum, num. 7.

Census contractus, in quo venditor promittit in retro-

retrouenditione dare aliquid amplius, non vitatur, sed vitiatur illa promissio, num. 9. Vitiatur etiam, & non vitiatur pactum, quo vendor cogitur indirectè ad redimendum censem, num. 10. Vitiatur etiam, & non vitiatur pactum de soluendo anticipate, num. 11. Vitiatur similiter, & non vitiatur impositio generalis census super omnibus bonis, quando est impositus etiam super certa re, num. 12.

Protestatio contrahentium censem, quod instrumentum census intelligatur celebratum iuxta formam constitutionis Pij V. &c. coadiuuat multum ad re iycienda pacta iniusta sine vulneratione census, sub num. 12.

Pacta, quæ vitiантur, & non vitiант censem, num. 9. & seqq. & num. 14. & seqq. ubi declaratur.

Pacta accidentalia, seu contra naturalia actus vitiантur, & non vitiант, num. 14. Sed ea, quæ versantur circa substantiam, seu formam substantialeм, vitiант, & non vitiантur, num. 15.

Pij V. constitutio de censibus, dum declarat fœneratios census, initos sub alia forma, non equaliter declarat, &c. num. 17.

Conditio impossibilis, j habentur pro non appo-

& sitis, num. 13. Declara-

Conditio turpis j tur, num. 16.

Societas officij sustinetur pro ea summa, pro qua sustineri potest, num. 18. Et fructus indebet exacti non computantur in sortem, si probatis requisitis, cederent loco damnorum, & interesse lucri cessantis, num. 27.

Donatio non insinuata sustinetur in ea summa, in qua insinuatio non requiritur, num. 19.

Vsurarius contractus an & quando puniatur, num. 28. & seqq. Et quando contractus sit usurarius, & quando non, num. 31. & seqq.

M P L I A XX. vt quamuis contractus cambij sit nullus, ideoq; reduci videatur ad speciem contractus usurarij; tamen campor, qui pecunias dedit cambio, illas non perdit.

Ratio est, quia alias unus locupletaretur cum alterius iactura, quod est contra naturam, l. 14. nam hoc natura. ff. de condic. indeb. vnde, si contractus eo modo, quo est gestus, sit inualidus, & ex illa inualiditate oriatur locupletatio unius cum iactura alterius, debet lex contractum sustinere eo modo, quo remaneat validus, & quo æqualitas inter utrumque seruetur, per ea, quæ

secutus sum par. seq. limit. 7. sub num. 11. & 12. & consequenter, si contractus cambij cum lucro cambij sit inualidus, & usurarius, debet reduci ad contractum mutui cum interesse lucri cessantis, & damni emergentis.

2 Pro facilitati huius ampliationis, eiusque rationis intelligentia, & firmiori resolutione duo præmittenda sunt.

Primum, quod tam contractus cambij, quam quius alius contractus, vt sit usurarius, debet necessariò habere mutuum explicitum, vel ad illud implicitè reduci, cum usurpa non committatur in alia specie contractus, quam in contractu mutui, vt secutus sum par. præced. sub num. 25.

Secundum, quod etsi omnis contractus usurarius sit contractus mutui, vt dixi, tamen non è conuerso omnis contractus mutui est usurarius; aut enim pro sorte mutuata redditur sola sors; & tunc nedum non est usurarius, sed est pius: aut redditur sors cum accessione; & tunc illa accessio vel datur pro interesse lucri cessantis, seu damni emergentis, & similiter non est usurarius, per ea, quæ latè scripsi ead. par. præced. num. 74. & seqq. vel datur non pro aliquo interesse, sed ex eo solo, quod mutuatarius fuit in hoc beneficiatus à mutuatore; & tunc est usurarius, prout hæc latius explicaui d. par. præcedenti, num. 71.

3 His duobus præmissis, huius ampliationis, eiusq; rationis veritatem quinque ostendo argumentis.

Primo, quia licet contractus cambij resolueretur in mutuum, imò esto quod esset contractus mutui, & mutui expliciti; tamen si mutuator ultra sortem mutuatam intendat aliquid aliud rehabere, mutuum sumi non debet in ea specie mutui, in quo accessio esset usuraria, sed debet reduci ad illud mutuum, in quo accessio non est usuraria, vt puta, si mutuator verè, & iuridicè probet, illam accessionem sibi deberi ratione lucri cessantis, seu damni emergentis, per ea, quæ scribunt Nauar. in man. confess. cap. 17. de usurpa circa cambia, sub num. 297. ibi, tertio dico. vbi, formato prius num. 296. cambio in sui essentia iniusto, ait, illud cambium non posse defendi, nisi ratione veri interesse, vt puta, quia is, qui dedit cambio, destinasset illas pecunias mercaturæ, vel rebus frugiferis emendis, ita quod causa principalis, quare cessauerit ab illis, sit datio pecuniarum ad cambium, & demum sentit, illud cam-

bium esse reducēdum ad eam speciem cambij, seu contractus, in qua, vt euitetur damnum, possit sustineri, & licet ipse addat conditionem, (dummodo seruentur seruanda ex extrauag. Pij V.) quam conditionem tacitè videntur sentire idem Nauar. & Ioan. Bapt. Cauat. quos, loquendo de pecunijs datis ad cambium rustico, cuius litteræ sunt reddituæ inanes, secutus sum supra ampl. 17. num. 5. vers. quarto quia. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 2. vers. ad secundum. vbi ait, quòd non referr, si illud mutuum nomine cambij simuletur, quia cambium est siccum, & nummularius à vero cambio cessat, vt suas pecunias in siccum cambium, hoc est, in mutuum det, quo casu, inquit, debet habere interesse cambij, à quo cessauit, vt ex eodem, & alijs secutus sum supra ampl. 8. num. 1. & sic supponunt semper formam cambij, tamen (parcat mihi Nauar.) haec conditio est frustratoria, quia aliud est lucrum cambij, quod vt debeatur necessarium est, vt verè, & realiter seruetur forma, tradita in cōstitutione de cambijs; & aliud est interesse lucri cambij, à quo quis verè cessauerit, dum rogatus mutuasset, vel debitor fuisse morosus in non soluēdo, quia istud interesse lucri cessantis deberetur eo ipso, quòd creditor inuitus cessasset à cābio vero, & reali, seu ab alio negotio, cuius interesse peteretur; vnde tantum abest, vt pro isto interesse sit necessariū, seruasse formam constitutionis cambij, vt ideo debeatur interesse cambij, quia gratia ipsius mutuatarij, seu culpa debitoris cambiū nullatenus fuerit contractum, iuxta ea, quæ scripsi dicta ampl. 8. num. 1. & seqq. & num. 245. vbi latè firmauimus, ex mutuo deberi interesse cambiorū, seruata solum forma mutui, & non cābij.

4 Secundo, quia etiam contractus mutui resoluitur in eum contractum, cui pacta, & conuentiones conueniant, quare si tu mutuodares alicui pecuniam, vt mercatoriam artem exerceret, laborem, & industriam subbituro, & lucrum, & damnum æqualiter diuisuro, contractus non esset vsurarius, cum ex pactis appositis appareat, potius initiam fuisse societatem, quām contractum mutui, Guid. Pap. decis. 186. si quis mutuat, quem sequitur Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. num. 2. in fine, vers. quin & pecunia. similiter pecunia, mutuo coacte data, resoluitur in emptionem annui redditus, vt scripsi supra q. 1. num. 452. & seqq. 460. & 462. vers.

sed non . in contractu enim non verborum sonus, & conceptio sunt attendenda, sed pacta, & conuentiones, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1347. & 1352.

5 Tertio, quia si mutuator potest, explicitè mutuando, pacisci de lucro cessante, vt secutus sum supra ampl. 8. nu. 1. & seqq. ergo, resoluto cambio in mutuum, non repugnat iustitia, quòd campsor, probatis requisitis, consequatur lucrum cessans, & euitet damnum emergens, vt latè hanc materiam prosecutus sum d. ampl. 8. num. 1. & seqq.

6 Quarto quia contractus mutui potest in parte valere, & in parte non valere, prout in parte contineret iustitiam, & in parte non contineret; quare, si Titius mutuat tibi centum, & vult sibi fieri instrumentum garantiatum de duplo, idest, de ducentum; tale instrumentum & quo ad Deum, & quo ad mundum est licitum usque ad dicta centum, quia nec in certis, nec in incertis licitum pati debet ob illicitum, vt, articulo latè per argumenta ad vtramque partem discussio, firmat Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 135. num. 29. 30. & 31. & sub num. 33. in 6. argumento, ibi, credo de iuris rigore. de usur. inter tract. diuers. to. 7.

7 fol. 35. † & pactum usurarium, mutuo adiectum, vitiatur, & non vitiat, quia contractus mutui de se est licitus, & debet infirmari, quatenus continet usuras, & usurarum promissio vitiatur, in quantum excedit legitimum modum, l. 14. iulianus. §. idem papinius. & ibi Gl. ff. de act. empt. l. 29. placuit. ff. de usur. & l. 26. eos. §. super usurarum. ibi, si quis autem. C. eod. Laur. de Rodulph. d. q. 135. sub num. 30. & Surd. conf. 327. rotæ lucensis. sub num. 17. & 18. lib. 3. quem etiam in diuerso casu; faciente tamen ad hunc, secutus sum sup. ampl. 8. nu. 60. &, quòd pactum lucri, appositorum in mutuo, non trahat mutationem in aliud genus contractus, sed maneat mutuatio, ac si pactum non esset appositorum, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 2. in respons. ad tertium, vers. ad tertium. col. 12. fol. 308. & in effectu consentit Molin. quem retuli d. ampliat. 8. sub num. 20. vers. neque. &, quòd pactum usurarium, adiectum contractui mutui, vitietur, & non vitiet mutuum, quod de per se est licitum, fuisse conclusum in Camera Imperiali, quamvis constitutiones Imperij cassarent, & irritarent contractus usurarios,

- arios, testatur Andr. Gail. in pract. obseru. lib. 1. obseru. 4. constitutiones. nu. 6. & seqq.
- 8 iunctis alijs num. præced. lib. 1. † similiter, si mutuans nauiganti, aliquid vltra sortem recipiat, partim ratione periculi, quod in se suscepit, & partim ratione mutui, committit usuram solum quo ad id, quod plus recipit ratione mutui, & non quo ad illud plus, quod recipit ratione periculi, Archiep. Florent. quem secutus sum supra q. 1. num. 498. confir. 3. versus finem.
- 9 Confirmatur primo hoc quartum argumentum, quia licet contractus censualis, in quo venditor promittit emptori in retrouenditione dare aliquid amplius vltra sortem, sit inualidus in ea parte, in qua hoc promittitur, tamen remanet validus in alia, vt, articulo discusso, firmat Foller. tract. de censib. in verbo, vt vides. sub num. 22. ibi, quid igitur dicendum. iunctis nu. 4. & seqq. & num. 14. in fine, ibi, sed istis non obstantibus. & num. seqq. tom. 6. par. 2. fol. 156.
- 10 † Licet etiam pactum, appositorum in contractu census, quod emptor, qui domum, super qua census est impositus, conduxit, non possit expelli, etiā finita locatione, nisi prius redemptio, & extinctio censu, videatur pactum inhonestum, cum ex eo per quandam viam indirectam compellatur venditor ad redendum; quod est contra naturam census; tamen illud pactum non vitiat contractum census, sed ipsum vitiatur, Rot. diuers. decis. 19. fuit conclusum. num. 4. coram R.P.D.Cantuccio, in Rom. nullit. census, 4. Februarij 1583. in impressis Romæ 1615.
- 11 † Licet etiam pactum de soluendo anticipata, appositorum in contractu census, sit reprobatum ex constitutione Pij V. de censibus, tamen vitiatur, & non vitiat censem, Rota diuers. decis. 326. sententiam. nu. 4. vers. alia nullitas. coram Illustriss. Card. Lancellotto, in Bononien. census, veneris, 10. Iunij 1611. in impressis Romæ. 1615. † Licet pariter census, impositus generaliter super omnibus bonis, sit nullus ex constitutione Pij V. tamen, si fuerit impositus super certa re frugifera, & proportionabili censui, & vterius super omnibus bonis, census est validus, quia illa superfluitas rejecitur, Rot. diuers. decis. 285. dixerūt. in fine, n. 12. coram bon. mem. Card. Paphilio, in Beneuetana census, 29. Martij 1595. in impressis Lugduni 1612. Et maximè procedit hæc confirmatio, quando contrahentes in contractu census prote-

stati sunt, quod instrumentum intelligatur initum, factum, & stipulatum iuxta formam constitutionis Pij V. ita quod, si in eo contra dictam formam esset aliquid appositum, illud habeatur pro non apposito, pro non scripto, & pro non stipulato, sed reducatur, & reductum censeatur iuxta illius tenorem, cum eorum intentio fuerit, & sit ita contrahe-re, & non alio modo, Rot. diuers. decis. 285. dixerunt domini. n. 1. coram eod. bon. mem. Card. Pamphilio, in d. Beneuent. census, 29. Martij 1595. seu 1598. in impressis Lugdu-ni 1612. que est superfluè iterum impressa in decis. 124. inter impressas Romæ 1615. ead. Rot. diuers. decis. 43. fuit conclusum. sub num. 2. vers. tanto autem. coram R. P. D. Orano, in Foroliuen. census. lunæ 13. No-uembri 1589. & decis. 89. placuit. in fine, nu. 7. coram eod. bon. mem. Card. Pamphilio, in Beneuentana census, veneris 16. Decem-bris 1594. in eisdem Romæ impressis.

13 Corroboratur hæc confirmatio, quia hæc pacta, quæ sunt contra naturam actus, sunt veluti conditio impossibilis, quæ, siue sit impossibilis de facto, siue de iure, semper rejecitur, & similiter conditio turpis habetur pro non adiecta, vt secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. lib. 1. cap. 57. num. 6. & sic vitiatur, & non vitiatur.

14 Intellige tamen hanc confirmationem cum hac distinctione: Aut pacta illicita, appositorum in contractu census, seu alia, in eo omissa, non sunt circa ea, quæ sunt de forma substantiali contractus census, sed sunt accidentalia, seu contra naturalia; & quia eiusmodi pacta, seu omissiones non remouent consensum contrahentium à contractu census, nec faciunt, illum contractum transire in aliam diuersam speciem; ideoque sunt quid accidentale, quod potest inesse, & abesse à contractu census; contractus census ex illorum appositione, seu omissione non vitiatur, sed vitiantur ipsa pacta; & ita procedunt adducta in confirmatione, Rot. diuers. decis. 176. fuit proposita. num. 2. in fine, vers. examinatis. & seqq. coram bon. mem. Card. Seraphino, in Calaguritana census, lunæ 29. Aprilis 1602. ubi, quod pa-tum, vt venditor census teneatur restituere pretium census, vel illos cariores soluere, ad electionem emptoris, si census ex lege Regia in posterum cariores fierent; vitiatur, & non vitiat contractum census, ideoque fructus, ex eiusmodi censu percepti, non com-

computantur in sortem, & decis. 159. cum in ultima. sub nu. 1. coram bon. mem. Card. Pamphilio, in Bononien. census, lunæ 26. Iunij 1600. vbi, quod pactum de solutione anticipata non vitiat censum, sed vitiatur:

15 † Aut pacta, & omissa versantur circa substantiam, seu formam substancialem census; & isto casu, quia eiusmodi pacta, seu omissiones impediunt ipsius census creationem, faciendo, contractum transire in aliam speciem contractus; dico, quod vitiant contractum census, ut tacite sentit Rota d. decis. 159. sub num. 1. & declarant expressè d. decis. 176. sub num. 2. & decis. 10. fuit resolutum. num. 1. & seqq. coram bon. mem. Card. Seraphino, in Romana turris bubalariæ, lunæ 7. Nouembris 1575. vbi, quod pactum in contractu census appositum, quod venditor teneatur infra quatuor annos redimere censum, vitiat contractum census, quia tendit ad perimendum ipsum actum, cum sit contra ipsius actus substancialiam, qua remota, remouetur ipse actus, & facit, ut contractus transeat in aliam speciem, nempè, in contractum pignoris foeneratij, & decis. 325. dubium. sub num. 10. vers. vltra quod. coram Illustriss. Card. Lancellotto, in Lucana locationis, veneris 18. Martij, & 29. Aprilis 1611. vbi, quod pactum illicitum de soluendo certo interesse pro anticipata locationis solutione facit, illam solutionem transire in mutuum palliatum, quas decisiones habes inter impressas Romæ anno 1615. &, quod ea, quæ sunt de propria essentia, & substancialia alicuius actus, remitti non possint, quoniam actus consistere non posset, scribit, loquendo de non remittenda cautione usufructuario, Peregr. tract. de fideicomm. art. 40. num. 13. vers. quæ autem. & cum hac distinctione concordat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 24. vers. his positis. col. 307. in fine, dicens, quod si conditio apposita in contractu est contra substancialiam contractus, tunc vitiat contractum; securus, inquit, si sit contra accidentia contractus, quia tunc non vitiat, cum, sublatis, seu mutatis accidentibus, substancialia adhuc maneat.

16 Cum hac eadē distinctione procedit corroboratio adducta supra num. 13. de conditione impossibili: Aut enim impossibilitas est circa accidentalia, & tunc vitiatur, & ita procedit corroboratio: Aut est circa substancialia, & tunc non vitiatur, sed vitiat, Addit.

1. ad Gl. 1. in §. impossibilis. Instit. de hæred. instit. Abb. in cap. vlt. si conditiones. in 1. & 2. reg. num. 2. 3. & 4. de condit. appos.

17 Nec huius intelligentiæ distinctioni, contractui census applicatae, obstat dicta Pij V. constitutio in illis verbis, *contractusq; sub alia forma, &c.* vbi census contractus, qui sub alia forma, quam sub illa, illic tradita, celebrarentur, declarat foeneratios, & tamē à forma illic tradita excludit indistinctè, & æqualiter tam pacta, quæ secundum Rot. sup. citatam sunt contra substancialiam, & formam contractus, quam pacta, quæ sunt contra naturalia contractus.

Quia respondeo negando, quod æqualiter excludat vtriusque generis pacta; imò illa declaratio contractus foeneratij, & annulatio refertur non ad omnia, quæ dixit supra, sed refertur tantum ad ea, quæ substancialem contractus formam respiciunt: nam cum Papa improbauerit nonnulla pacta particularia, vt in §. pacta continentia. & in §. sicuti etiam. & illa tantum pacta specialiter annullauerit, non autem totum contractum propter illa damnauerit, colligitur, quod eius intentio fuerit, quod, resecatis illis pactis, contractus in reliquis remaneret in suo robore, Rot. d. decis. 159. num. 2. & seqq. vbi alias adducit rationes, quas tu poteris videre.

Multa mihi dicenda superessent tam circa hanc obiectionem, & eius responsionem, quam circa cognitionem; quæ pacta dicantur substancialia contractus, & quæ naturalia: hoc enim opus, hic labor est: sed locus non consentit; transeamus ad alia; & interim collige aliqua pro istorum pactorum declaratione ex his, quæ scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 6. tit. de contract. cap. 13. vers. pacta igitur. & seqq. col. 520.

Confirmatur secundo, quia licet ex pecunia, data in societate officij, contracta sine officio, quis fructus societatis consequi non possit, per ea, quæ scripsi par. præced. nu. 35. tamen an illos consequi possit in vim pacti, & contractus innominati, do, vt des, vallati periculo perdendi pecuniam in casu mortis, est articulus controversus, in quo extant opiniones, quas adduxi sup. quæst. 1. num. 280. & 283.

18 Confirmatur tertio, quia licet pariter societas contrahatur pro maiori quantitate, fructuum, quam illud officium reddat, siue pro maiori summa, quam valeat illud officium,

tiū iuxta ea, quæ scripsi supra q. 1. nu. 326. & hac ead. q. par. præcedenti num. 35. & quo ad illam maiorem quantitatem sit nulla, tamen remanet valida, quo ad illā quantitatē, cuius officium est capax, Rot. diuers. decis. 336. honorius. initio, vers. dubitaui. in Romana societatum, lunæ 29. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Millino, inter impressas Lugduni 1612. vbi dicit, Dominos de Rota fuisse concordes, quod societas officij, initæ cum eadem persona super eodem officio, sustinerentur solum usque ad valorem officij, & non ultra, & sentit etiam in. decis. 287. habebat. vers. dubitaui. in Rom. societ. lunæ 28. Ianuarij 1591. coram bon. mem. Card. Blanchetto, dicens, fructus perceptos non deberi ultra summam, excedentem valorem officiorum, & tamen prima societas excedebat valorem officiorum; & decis. 289. domini dixerunt. in fine, inter easdem Lugduni impressas, dicens, quod Domini censuerunt, pro rata, per quam sociates sustineri non potuerūt, fructus exactos cohærere extinctioni sortis principalis, & idem sentiunt Castrac. tract. de societ. offic. cap. 6. sub num. 7. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. vers. hæc conditio. col. 779. & ita censeo tenendum.

Quicquid de ista validitate dubitet ratione individualitatis Virg. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 102. & pro tota invaliditate affirmet sub num. 126.

¹⁹ Confirmatur quarto, quia licet donatio, non insinuata, non teneat in tota summa, tamen tenet in reliqua summa, pro qua insinuatio non erat necessaria, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. num. 311. & sic sustinetur contractus eo modo, quo sustineri potest.

²⁰ Confirmatur quinto, quia licet litteræ cambij fictæ non habeat executionem paratam, tamen habent eam pro ea parte, pro qua sunt veræ, vt ex Nauar. secutus sum infra. §. 7. gl. 5. num. 10. vers. subrestringe. Ergo.

²¹ Quinto, quia vel consideramus resolutionem cambij in mutuum, & tunc succedunt quæ scripsi: vel consideramus simplicem resolutionem contractus; & tunc is, qui accepit pecunias cambio, remanet debitor obligatus ad restituendas pecunias, & non restituendo, tenetur ad interesse, vt ex Rot. diuers. secutus sum supra ampl. 8. num. 194. in fine, in 7. restrict.

Quare in summa, vel iste mutuator, mu-

tuando, non cessauit à cambio, & tunc poterit consequi solum interesse, quod verè passus est, cum re vera ipse noluerit mutuare, ideoq; mutuatarius tenebatur statim pecunias reddere, cum apud eum remanserint sine titulo, vt ex Rot. secutus sum d. ampl. 8. num. 194. vel mutuando cessauit à vero cambio, & tunc debetur ei interesse veri cambij, per ea, quæ latè secutus sum ead. ampliat. 8. num. 1. & seqq.

²² Contra hanc ampliationem sentire videntur ij, qui cambia ficta, simulata, seu aliter sicca passim tanquam usuraria damnant, &, damnando, nullum faciunt verbum de soluendo aliquo interesse lucri cessantis, seu damni emergentis, vt patet ex his, quæ scripsi par. seq. limit. 7. num. 1. & alijs in locis, in quibus egerim de cambio usurario.

²³ Comprobatur primo hæc opinio contra ampliationem, quia in his, quæ dependent à voluntate duorum, & agitur de obligatione contrahenda, si actus non valet, vt fit, nec valebit, vt fieri potuisset, per ea, quæ allegauit par. seq. limit. 7. num. 5. vers. minusvè. & in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. sub num. 1123. quia in individuis utile per inutile vitiatur, vt secutus sum d. cap. ii. num. 312. 313. 1121. & seqq. & cap. 7. num. 701. 702. & 706. vbi habes plura exempla, quæ videntur infringere hanc ampliationem.

²⁴ Comprobatur secundo, quia si rationes, adductæ pro ampliatione, essent veræ, sequeretur, quod quamvis contractus census esset factus sine fundo, seu sine fundo fructifero, & emptor exegisset census annuos, seu is, qui dedit pecunias ad societatem officiorum, exegisset fructus, etiam mortuo officiali, seu vendito officio, posset illos annuos census, & illos fructus non computare in sortem, sed retinere loco interesse, quia mens contractum non fuit, vt pecuniae starent otiosæ, & quia interesse debetur tam de iure naturali, quam de iure diuino; & tamen non est ita, quia ille census, seu societas officij resoluuntur in simplex mutuum, & ideo fructus exacti computantur in sortem, vt tenuit saepe Rot. quam citauit supra ampl. 8. num. 217. vers. contra hanc. ergo ex hoc apparent, illas rationes esse infirmas.

²⁵ Comprobatur tertio ex sex argumentis, quæ contra hanc ampliationem adducit Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 135. sub num. 131. vers. in contrarium. num.

num. 132. & 133. de usur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 35.

26 Retenta ampliatione.

Respondeo ad adducta in contrarium ; & primo dico , quod licet illi Theologi , qui damnant cambium usurarium , non faciant verbum de soluendo interesse ; tamen non sequitur : ergo sentiunt, interesse non esse soluendum ; nam alibi dixerunt, esse soluendum pro cambio sicco , ut retuli supra ampl. 8. num. 1.

Ad primam comprobationem patet solutio ex his , quæ scripsi par. seq. limit. 7. sub num. 11. & 12. & in meo tract. de iud. caus. lib. 2. cap. 11. sub num. 1123. in futura impressione .

27 Ad secundam respondeo , quod pecuniæ exactæ pro fructibus societatis officij , non computantur in sorte , sed cedunt loco damnorum , & interesse ratione lucri cessantis , probatis requisitis , de quibus sup. ampl. 8. num. 99. & seqq. Rot. diuers. decis. 287. habebat , in fine , coram bon. mem. Card. Blanchetto , lun. 28. Ianuarij 1591. in Rom. societ. inter impressas Lugduni 1612. & sic illa confirmatio retorquetur .

Ad tertiam sufficiat pro responsione , quod idem Laur. de Rodulph. qui illa argumenta deducit , firmat hanc ampliationem contra illa argumenta .

28 Restringe primo , explicando eandem ampliationem , ut hæc omnia , quæ dixi de soluendo capitale , & interesse , legitimè probatum , resecatis usuris , procedant , quando creditor in iudicio non egerit ad consequendas usuras , sed egerit solum ad consequendum capitale , seu etiam interesse , de iure legitimè debitum ; quia tunc fieret hæc separatio liciti ab illico , ut creditor conserqueretur licitum ; secus si in iudicio egisset ad usuras , puta , ad duplum promissum ex mutuo , & pro isto duplo esset usus instrumento sine pœnitentia , quia tunc perdit etiam capitale , Laur. de Rodulph. in d. cap. consuluit. par. 2. q. 135. in fine , sub num. 34. vers. vnum tamen de usur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 35.

29 Quicquid dicat Laur. de Rodulph. tudi stingue duos casus .

Primus casus est , quando contentio est coram iudice ciuili , ciuiliter agendo : & isto casu procedit ampliatio , siue creditor usus sit instrumento , siue non , & siue cum pœnitentia , siue non , & ideo Rota in contro-

uersijs super sorte , & fructibus societatis officij , nulla facta mentione de crimine usuræ , semper condemnat ad fructus pro rata , pro qua liciti sunt , & absoluit à fructibus illicitis , & usurarijs ; vt patet ex dictis sup. nu. 18. in 3. confirmatione .

30 Secundus casus est , quando contentio est coram iudice causarum criminalium , criminaliter agendo : & isto casu , supposita opinione , quæ seruatur in praxi , vt pro crimine usurarum possit procedi criminaliter (de hoc enim non dispuo) concludo , quod licet creditor possit obtainere in eo , quod remanet illicitum , per ea , quæ dixi supra num. 6. & seqq. in 4. argum. & infra §. 7. gl. 5. num. 76. vers. extende . tamen in eo , quod remanet illicitum , & usurarium , punitur extraordinariè arbitrio iudicis , ad tradita per Clar. recept. sent. lib. 5. §. usur. vers. & ex hoc . & Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 4. cas. 398. per totum , & quod usuraria prauitas sit de iure punibilis , dixit Rot. diuers. decis. 332. num. 3. inter impressas Lugduni anno 1612.

Extende conclusionem huius secundi casus , vt procedat indistinctè , siue mutuator exegerit usuras , quia tunc usuræ delictum est omnino consumatum ; ideoq; punitur in primis criminaliter , & secundario condemnatur ciuiliter ad restitutionem usurarum exactatum : siue non exegerit , minusvè instrumento usus sit in iudicio ; quia adhuc puniri debet , cum usuræ delictum consumetur sola spe recipiendi ultra sortem , hæcq; spes , si sit occulta , punitur in foro interiori , iuxta ea , quæ scripsi supra ampl. 10. sub num. 87. si verò sit manifesta iudicialiter , punitur etiā in foro exteriori ; exactio enim esset necessaria solū , vt posset condemnari etiam ad restitutionem , vt dixi sub eod. nu. 87. sic dicimus in furto , & rapina , quibus assimilatur usuræ , vt dixi ampl. præceden. num. 64. fur enim , si rem abstulerit , condemnatur etiam ad illius restitutionem , sed si non abstulerit , sed solum fregerit ostium , seu scrinium , & impeditus non abstulerit , adhuc est puniendus faltem poena mitiori , quia deuenit ad actum proximum , & immediatum ipsi maleficio , Clar. recept. sent. lib. 5. q. 92. vers. scias tamen . versus finem .

31 Declara etiam pro absoluta intelligentia quando contrahens possit puniri pro contractu , distinguendo contractus iniustos in quatuor species .

Prima species est contractus explicitè usurarius :

arius: & in hac specie concludo, non solum contractum esse iniustum cum obligatione restituendi acceptum ultra fortem, tam iure fori interioris, quam iure fori exterioris, sed etiam accipientem puniendum esse criminally, ut dixi hic supra, quia usuraria est rapina, & furtum, ut dixi ampliat. præcedenti, num. 64.

34 Secunda species est contractus implicitè usurarius, nempe, quando in rei veritate est contractus mutui, sed est fictus, & simulatus alias contractus, & sic est mutuum palliatum, de quo scripsi par. præced. num. 24. & in hac specie considero duos casus: Primus est, quando certò constat de mutuo palliato, ut puta, quia celebratur contractus venditionis cum pacto, ut venditor teneatur redimere quandocunque ad voluntatem emptoris, cuius lucro cedant fructus rei emptæ, de quo contractu locutus sum sup. q. 1. num. 479. & seqq. 487. iuncto num. 475. & isto casu concludo idem, quod conclusi in præcedenti prima specie, nempè, quod non solum iste emptor tenetur restituere fructus perceptos, seu illos computare in fortem, sed posset etiam extraordinariè puniri: Secundus casus est, quando non certò constat de mutuo palliato, sed potest solum de eo dubitari, ut puta, quia res cariori vendatur pretio pecunia absenti, quam præsenti, & non constet de certo venditoris interesse propter dilatam solutionem, ideoque non possint contrahentes illud taxare, ne aperiatur via fraudibus usurarum, iuxta ea, quæ scripsi par. præced. num. 85. quia posset venditor mutuum palliare hoc modo, ut, quasi recepto pretio, de contanti, illud deinde mutuet usque ad tempus dilationis conuentæ, simulato interesse: & è conuerso posset esse, quod re vera venditor pateretur illud interesse, quod sibi, si probaretur, iuste debetur: similiter posset ille excessus non esse excessus, considerato forsan mali debitoris nomine, item considerata incertitudine futuri pretij, quia tempore solutionis faciendæ posset eo pretio vendi: & isto casu in foro fori ob istas causas, & incertitudines concludo, venditorem non solum non puniri, sed tolerari etiam validitatem contractus, per ea, quæ scripsi d. par. præced. nu. 77. & seqq. & ita seruat usus, pro cuius ratione facit quod scribunt Doct. quos secutus sum dicto num. 77. & Stracch. tract. de mercat. par. 1. num. 37. tom. 6. par. 1. fol. 286. & quod

scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 216. & 217. In foro tamen interiori castigabitur conscientia iniqui.

33 Tertia species est contractus, qui nec explicitè, nec implicitè appareat usurarius, sed tamen ad euitandam usuram, quæ in eo posset facile committi, est à iure damnatus; nulla tamen contrahentibus est imposita certa poena; qualis est contractus assecurationis, initus inter mutuatorem, & mutuarium, qui censemur contractus usurarius, d. cap. vlt. de usur. & in hac specie concludo, annullari contractum, tanquam illicitum, restitutis hinc inde datis, & acceptis; nulli tamen alteri poenæ, præter contractus nullitatem, censeo esse locum, quia, quando iudicium fertur ex præsumptionibus, poena criminalis debet cessare, cap. 2. afferte. de præsumpt. etiam si talis contractus sit damnatus tanquam foeneratius, ideoque Pontifex in d. cap. vlt. non dixit, illum contractum esse usurarium, sed dixit esse censendum usurarium.

34 Quarta species est contractus, qui non solum non est explicitè, vel implicitè usurarius, sed neque est damnatus propter aliquam usuræ suspicionem; est tamen iniustus, quia nimis altera pars læditur: & in hac specie in foro fori concludo contractum esse validum, ut latè declarauit supra ampl. 10. num. 1. & seqq. in quibus habes totam materiam huius quartæ speciei.

35 Restringe secundo eadem ampliationem, (dum dixi, quod mutuatori, qui, ut mutuet, cessat à cambio vero, debetur interesse cambij veri, à quo cessavit) ut hoc dictum non procedat, quando veniret tempus, ut ista cambia nundinaria per litteras amplius non fierent, quia tunc impossibile esset, ut interesse penderet à lucro cambiorum, quæ essent sublata.

Infero ex hac restrictione, quod si personæ contrahentes essent in locis, in quibus cambia non fierent, tunc non posset inter eas deberi interesse cambiorum.

Subamplia omnes ampliations, in quibus diximus, aliquam personam posse accipere cambio, ut etiam procurator illius, constitutus ad accipiendam mutuam pecuniam, possit eam accipere cambijs, & re-cambijs, ut secutus sum par. præcedenti sub num. 22.

Absolutis in hac secunda parte ampliations, aggredior tertiam, in qua agendum erit de limitationibus.

§ I. Quæst. 7. Par. 3.

ARGUMENTVM.

Quæ cambia sint illicita.

L I M I T A T I O I .

S V M M A R I V M .

Cambium, cuius lucrum augetur propter au-
etiam dilationem ad soluendum, an sit licitum,
num. 1. & seqq.

Cambij lucrum potest referri ad varias causas,
& sub diuersis contractibus, sub num. 4.

Cambij lucrum qua ex causa aecipiatur, non à
mercatoribus, sed à Iurisperitis, informatis
de facto, est decidendum, sub eod. num. 4.

Cambij interesse debetur, & quomodo ex disposi-
tione iuris communis, & quomodo sit prohibi-
tum à Pij V. constitutione, sub num. 5.

Cambij interesse debetur in foro conscientiae, non
obstante lege positiva, &c. num. 6.



IMITA I. eandem con-
clusionem, firmatam supra
hac eadem q. par. 1. nu. 41.
50. & seqq. & ampliatam
par. 2. ampl. 1. & seqq. vt non
procedat in cambio, quod
propter dilatam solutionem scutorum mar-
charum, sit pro maiori lucro, vt puta, tu das
cambio in Ciuitate Lucensi scutos 100. pro
instantibus nundinis Placétinis ad rationem
solidorū 65. pro scuto marcharum, deinde,
eui dedisti cambio, prorogas tempus solu-
tionis usque ad alias sequentes nundinas,
cum pacto, quod cambio intelligatur, non
ad rationem conuentam sol. 65. sed sol. 64.
quia hoc cambio non est licitum, ex quo
lucrum vnius solidi pro scuto marcharum
fundatur in solo tempore, Hier. de Luc. tract.
de camb. in verbo, pro decisione, sub num.
45. vers. non solet. & num. 46. fol. 410. &
Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de
camb. cap. 8. vers. tertia conditio. & quod
cambio ratione temporis neutquam pos-
sit esse licitum, quippe quod manifestam
habet rationem mutui, cuius ideo pretium
apertam habet usuræ iniquitatem, firmat
Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. art. 2. in concl.
responsiva, col. 2. fol. 611. & q. 12. art. 5. in
fine initij, & per totum, fol. 625. &, quod

emens marcham auri minori pretio, eo quia
vendenti facit dilationem ad soluendum
marcham, vt puta, debet venditor tradere
in nundinis apparitionis, & emptor dat ei
terminum, vt tradat in nundinis Paschatis,
contrahat cambium iniustum, & usurarium,
scribit Fabian. Genuen. tract. de camb. initio,
sub num. 15. tom. 6. par. 1. fol. 412. &, quod
non sit contractus cambij, sed sit contractus
mutui palliati sub nomine cambij, quando
quis dat cambio, & postea tempore soluendi
litteras cambij, requisitus ab eo, qui accepit,
prorogat ei tempus ad soluendum usque ad
sequentes proximas nundinas, cum pacto,
quod sibi detur id, quod respondebunt vera
cambia in illis sequentibus nundinis, & quod
lucrum, proueniens ex cambio, computetur
in capitale, ac si ipsi fuisset verè exbur-
sata pecunia capitalis cum lucro, & postea
iterum illam unam cum lucro eidem dedisset
cambio, scribit Fabian. Genuen. d. tract. de
camb. initio, num. 19. fol. 412. quia si mer-
cator emeret marcham auri minori pretio,
eo quia anticipatè eam solueret, esset em-
ptio, id est, cambio illicitum, quia lucrum
esset fundatum in solo tempore, Fabian. Ge-
nuen. vbi supra num. 14. vers. secunda. fol.
411. &, quod non liceat plus iusto pretio ac-
cipere ob expectationem, & dilationem ad
sequentes nundinas, & accipies peccet mor-
tiferè, cum obligatione restituendi, scribit
Nauar. in cap. nauiganti. num. 75. vers. sexto
quod hanc. in fine, & sub num. 76. vers. con-
cedimus. ibi, quarta quæ. de usur. &, quod
non possit augeri, seu minui pretium cam-
bij, eo quod solutio cambij mandetur ad usum,
vel à poliza vista, scribit Ioan. Bapt. Cauat.
tract. de camb. tit. de litter. vers. quæro an li-
ceat. fol. 224. &, quod omnia cambia, qui-
bus accedit lucrum solum ratione temporis,
sint sicca, ideoq; prohibita tanquam usur-
aria, scribit Sot. d. lib. 6. q. 8. art. 2. col. vlt. ini-
tio, fol. 606. &, quod illicita sit prorogatio
cum lucro, sequitur Hier. Gabr. cons. 158.
constitutio. num. 3. lib. 2. & hæc est doctrina
communis in quo quis contractu emptionis, &
venditionis, vt scripsi supra par. 1. num. 24.
vers. & quamuis. & num. 27. & cum hac li-
mitatione bene concordant, quæ scribunt
Bonins. & Virgin. de Boccat. quos secutus
sum limit. seq. sed quid egemus Doctorum
auctoritate, si habemus Pij V. constitutio-
nem, qua duobus in locis, nempè, ibi, sed
& in ipsis cambijs. & ibi, curandū autem, &c.
expres-